# GASPARIS ALOYSII
# ODERICI

PATRIC. GENUENSIS, ACADEMICI ETRUSCI

*DE*

# MARMOREA DIDASCALIA

IN URBE REPERTA

*EPISTOLA*

AD CAJETANUM MARINIUM

TABULAR. SECRET. VATIC.
PRÆFECTUM.

*ROMÆ*

JO. GENEROSUS SALOMONIUS
PUBLICA EXCUDEBAT FACULTATE

MDCCLXXVII.

Digitized by Google

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. A. Marcucci ab I.C. Epiſc. Montis Alti, ac Viceſger.*

---

## APPROBATIONES.

Legenti mihi Gaſparis Aloyſii Oderici Commentarium *de Marmorea Didaſcalia in urbe reperta*, ne minimum quidem occurrit, quod cum Fidei, morumque regulis non apprime congrueret. Quamobrem cum ob præſtantiam Græci litterati Lapidis, in quo explicando verſatur; tum ob ſingularem plane, qua præſtat, Doctrinam digniſſimum cenſeo, qui typis editus in manus hominum pervulgetur.

Romæ IV. Nonas Jun. an. 1777.

*Joſeph. Ant. Canonicus Reggi Biblioth. de Comitibus Præfectus, & P. in Rom. Collegio S. Script. Præf.*



Digitized by Google

THOMÆ AUGUSTINO RICCHINIO

*Patri Reverendiſſimo*

MAGISTRO SAC. PAL. APOST.

ANTONIUS MORCELLUS PRÆF. BIBL. ALBAN.

PErlectis, qua par erat diligentia, Gaſparis Oderici litteris *de Marmorea Didaſcalia in urbe reperta*, cum in his nihil reperiſſe mihi videor vel in Catholicæ Religionis profeſſionem, vel in Chriſtianos uſpiam mores periculoſum; tum vero ineſſe multa arbitror, & ingenioſe expedita, & diſputata erudite, quæ Græcorum maxime hiſtoriam rituſque priſcos illuſtrent.

Cal. Jun. ex Bibliotheca Albana.

---

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Prædicatorum Sacr. Palat. Apoſt. Mag.

GA-

## GASPAR ALOYSIUS ODERICIUS

### CAJETANO MARINIO

### S. P.

I. INTER vetera Græcorum opera, quæ hominum negligentia, & longinqua nobis eripuit vetuſtas, ea fuiſſe doleo, Marini Optime, quæ actas commiſſaſque a Tragicis, & Comicis Fabulas recenſebant. Nam & utili opere ad perfectam dramaticorum Poetarum intelligentiam privati ſumus, & egregio præſidio caremus, quo Græcæ hiſtoriæ tempora melius noſcere, atque Athenienſium inprimis *Archontum* ſucceſſiones emendatiores habere poſſemus. Si enim ex iis, quæ ſuperſunt, reliquiæ, conjecturam facere licet, illa præcipua ſcriptorum cura fuiſſe videtur, ut tempus, quo Fabulas ſuas Comici, Tragicique docuiſſent, inquirerent, & quo Archonte, quave anni tempeſtate ſingula quæ-

que dramata acta fuiſſent, diligenter notarent. Non vulgare ſane opus, cum in eo elucubrando criticorum doctiſſimi induſtriam, diligentiamque ſuam collocarint, Dicæarcus nimirum Ariſtotelis diſcipulus, Callimachus, Cariſtius, Ariſtophanes grammaticus, Apollodorus, Crates, & Eratoſtenes. His Ariſtoteles ipſe princeps præiverat, qui Tragicorum, Comicorumque nominibus & fabularum titulis, eo, quo dicebam, pacto collectis, συναγογὴν hanc, ſi Laertio fides, apto, & proprio vocabulo περὶ διδασκάλων inſcripſerat. Attici quippe ſcriptores, ut Harpocration aliique tradunt, ἰδίως διδασκάλους λέγουσι τοὺς ποιητὰς τῶν διθυράμβων, ἢ τῶν κωμῳδῶν, ἢ τῶν τραγῳδῶν. Quocirca διδάσκειν dicebantur, qui fabulas ſuas ſpectandas proferrent; quod a Græcis mutuatum Latini etiam uſurparunt. Unus exemplo ſit Tullius, qui unus mihi eſt inſtar omnium; *Ennius cum fabulam Thyeſtem docuiſſet, mortem obiit* (1). Eadem de cauſa & ἀντιδιδάσκαλοι, qui de palma in theatris contenderent, nominati; & διδασκαλία tum ipſa fabularum actio, & editio, tum opus quod explicaret *ubi*, *quando*, *quomodo*, *quove eventu* quævis fabula acta fuiſſet. At gravi literarum jactura, ut dixi, horum omnium opera, ſi pau-

(1) *Cic. in Brut.* 20.

pauca tantum fragmenta in tragœdiarum, & comœdiarum *Hypotheſes* tranſlata excipias, omnia inquam, *abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo*.

II. Quamquam periiſſe hæc membranis, & tabulis, blattearum ſcilicet, tinearumque epulis commiſſa, mirum minime tibi videri debet; quum et illæ *Didaſcaliæ* ereptæ nobis ſint, quæ ſolido, duroque in marmore, ad memoriam omnium gentium ſempiternam, fuerant inciſæ. Marmoreas haſce *Didaſcalias* non ego temere mihi fingo, certa earum indicia deprehendiſſe mihi gratulor in tenui illo græcæ inſcriptionis fruſto, quod Maffejorum in ædibus Romæ repertum, beneficio Cl. V. Herculis Bonajuti, adeptus fuiſti. Græca iſta inſcriptio Comicorum quorumdam nomina complectebatur, & quibus fabulis, quo Archonte, quo *liberalium* die victoriam Adeptus quiſque foret, hoc ferme pacto edocebat ὁ... ἐνίκα ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΣΑΤΥΡΟΙΣ εἰς ληναῖα: vel ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΕΝΙΚΑ ΜΕΝαιχμοις ΕΠΙ &c. Quam ſit noſtra hæc explicatio iis *Didaſcaliis*, quas ſupra nominabam, conſentanea ut facile intelligas, unam hic aut alteram exhibebo, plures deinde ſuis ſe locis ultro offerent. ἐδιδάχθη, Ariſtophanis *Equites*, ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος A.IV. Olymp. 88.

 δη-

δημοσία εἰς λήναια· δι' αὐτοῦ Ἀριστοφάνους ἐνίκα, δέυτερος Κρατῖνος σατύροις, τρίτος Ἀριστομένης ὀλοφύροις. Ἐδιδάχθη, ejuſdem *Aves*, ἐπὶ Καβρίου ἄρχοντος A.I. Olymp. 91. εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου ὃς ἦν δεύτερος τοῖς ὄρνισι, πρῶτος ἀμειψίας κωμάσταις, τρίτος Φρυνίχος μονοτρόπῳ. Præclariſſimum monumentum, quod docti omnes tibi gratulentur, & Oxonienſes invidere merito poſſint, Athenis poſitum fuiſſe ſi dicam, non temere dicam fortaſſe: in Græcia poſitum ſane fuit, atque illinc Romam translatum. Ut enim ſero *Græcis chartis acumina* Romanus admorit, admovit tandem, & quærere cœpit, *Quid Sophocles, & Theſpis, & Æſchylus utile ferrent*. Vidit vir acutus, & doctus, quiſquis ille fuerit, quanto ad poetarum hiſtoriam illuſtrandam, & ad græcorum tempora firmanda adjumento lapis hic unus eſſe poſſet. Utinam integrum nacti illum eſſemus! At non levi rei literariæ detrimento, marmoris quæ ſunt reliqua vel adhuc latent, vel alios in uſus miſere ceſſerunt. Quale tamen hoc cumque ſit, plurimi facies, atque eo te identidem beabis. Neque tamen ſuperbire te adeo velim, perinde ac ſi tua hæc *Didaſcalia* unica ſit, quæ nobis, magno veluti è naufragio tabula, ſuperfuerit. Quid ſi aliam tibi oſtendero, & quod magis etiam mi-

mireris, non in tenebris deliteſcentem, ſed publica in luce poſitam, a te ipſo non ſemel inſpectam, ab aliis vulgatam, ac docto commentariolo illuſtratam? Atqui profecto ſic eſt. Græca illa inſcriptio, quam ſuperioribus annis ad calcem meæ *Sylloges* Camaldulenſes Monachi ediderunt, illa, inquam, quam in eorum bibliotheca toties vidiſti, illa non ad *Athletas*, ut doctus interpres cenſuit, ſed ad *Comœdos* ſpectat, & *didaſcaliæ* huic noſtræ omnino ſimilis eſt. Hoc ut aperte tute ipſe agnoſcas fragmentum utrumque hic proponam, atque interpretabor. Verum enim vero antequam id aggrediar de Tragœdorum, & Comœdorum certaminibus diſſerendum mihi eſſe intelligo, ne ea quæ dicturus ſum obſcura fortaſſe, & non ſatis explicata videantur. Ab his igitur exordiar, & quo primum tempore inſtituta, quibus anni diebus, quibuſve legibus acta, quod victori præmium propoſitum foret, inquiram: neque omnia tamen, quæ dici poſſunt, complectar, præcipua rerum capita perſtringam, atque ea tantum, quæ vel neceſſaria, vel non nimis aliena videbuntur.

III. Cum omnis Græcia ſcenicis ſpectaculis vehementer gaviſa, tum nulli magis, quam Athenienſes, quorum effuſos in ſce-

ni-

nicam rem ſumptus notavit Plutarchus (1): *Si rationes*, inquit, *ſubducantur quanti conſtiterint ſingulæ Athenienſibus fabulæ, apparebit eos in Bacchas, Phæniſſas, Œdipos, Antigonem, Medeæ atque Electræ mala plus feciſſe ſumptuum, quam in bella pro imperio, & libertate contra barbaros*. Inſana hæc fabulas ſpectandi cupiditas & fabulis pretium dedit, & poetas ad hæc ſtudia magnopere inflammavit. Hinc ſolemnia illa tragœdorum & comœdorum certamina, quibus de victoria & palma certabant. Quo tempore, & quæ primum inſtituta, *comica ne*, an *tragica* ignorare me fateor. Ipſa Theſpidis ætate, qui primus

*Ignotum tragicæ genus inveniſſe camœnæ*
*Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata*,

tragicos agones inſtitutos ſunt qui velint (2): innuere id videtur Dioſcorides in græco illo epigrammate de Theſpide quod Fabricius (3) aliique publicarunt.

Βάκχος ὅτε τριττοὺ κετάγοι χορὸν, ᾧ τράγος ἆθλον
Χ' ᾧ 'ττικὸς ἦν σύκων ἄῤῥιχος ἆθλον ἔτι.
*Bacchus quando tertium ducebat chorum,*
*cui hircus præmi um certaminis,*

*Et*

(1) *Plut. de glor. ath. p.349.*
(2) *Reſnel. Acc. Inſcr. T.XIII.*
(3) *Fabr. B. Gr. T.1. p.600.*

*Et cui Atticus erat ficuum caniſter præmium etiam .*

Non ſum neſcius Reiskium pro ὅτε τριττόν, & pro ῷ τράγος ἆθλον legiſſe (1) ὅτ' ἀγρωτὰν, & ῷ τρύγος ἄσκος ; at quando *ſua* hæc eſſe fatetur , nec cauſam ullum hujuſce mutationis affert , ea ſibi illam habere jubebimus . Accedit his vetus Pariorum chronicon marmore deſcriptum , ex quo tragicas haſce commiſſiones Theſpidis ætate inſtitutas ſuſpicari non temere poſſis . Ut enim Plutarchus (2) ſcribat tragica carmina Solonis ætate , qua Theſpis vixit, uſurpata non fuiſſe , *quum jam movere Theſpis tragœdiam cœpiſſet , & retineret rei novitas multitudinem , necdum enim ad certaminis contentionem res evaſerat* , non recte tamen collegit Caſaubonus (3) tragicorum agones Theſpidis ætate ignoratos . Quid ſi Theſpis Solone multo fuerit junior ? Ita ſane arbitror : Theſpis quum circa Olympiadem 54 docere tragœdias cœpiſſet; prohibitus a Solone eſt, ut Laertius narrat (4) , *Theſpidem tragœdias agere prohibuit , inutilem eam falſiloquentiam vocans* ; at quum anno I. Olympiadis , non ut Meurſius , aliique volunt quin-

(1) *Reiſ. not. ad Antol.Conſt. Cephalæ .*

(2) *Plut. vit. Solon. p.95.*

(3) *Caſaub. de Poeſ.Satyr. c.V.*

(4) *Laer. V. Solon. §.60.*

*quinquageſimæ , ſed quinquageſimæquintæ ,* Archonte Comia, ut Phanias vetus autor apud Plutarchum (1) docet, firmatque Græcorum chronicon (2), Piſiſtratus patriæ libertatem oppreſſiſſet, Theſpis, Solone aut defuncto, anno ſequenti Archonte Hegeſtrato, ut idem ait Phanias, aut peregre profecto, ut alii ſcribunt, nullius certe Athenis autoritatis, Theſpis, inquam, fabulas docere iterum inſtituit, ac tum demum tragicorum certamina inſtituta, in quibus quum victor Olympiade 61. renunciatus fuiſſet, *hirco* donatus fuit, ut Græcorum epochæ perſuadere videntur ΑΦΟΥΘΕΣΠΙΣΠΟΙΗΤΗΣ .... ΑΧΙ ... ΟΣ ΕΔΙΔΑΞΕ ΑΛ ... ΣΤΙΝ ... ΤΕ ΘΕΟ ..... ΡΑΓΟΣ .... Χ .... ΕΤΗΗΗΠΔ... ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΘ ... ΝΑΙΟΥ ΠΡΟΤΕΡΟΥ quæ Seldenus, Palmerius, Prideauxius, aliique docti viri ſic legi poſſe exiſtimarunt, Ἀφ᾽ ȣ̃ Θέσπις ποιητὴς ἐξ ἁμάξης πρῶτος ἐδίδαξε Ἀλκέστιν, καὶ ἐτέθη τράγος ἆθλον νενικηκότι ἔτη ΗΗΠΔΔΙΙ᾽ ἄρχοντος ἀθήνησιν Ἀλκαίȣ (al. Ἀθηναίου) τȣ̃ προτέρȣ; *Ex quo Theſpis poeta è plauſtro primus docuit Alceſtin, & datus eſt hircus præmium victori anni 272. Archonte Athenis Alcæo,* al. *Athenæo primum*. Non ignoro fabulæ nomen in controverſia poſitum; ſed hoc nihil id, quod quæ-

(1) *Plut. l. c.*

(2) *Epoc. 41.*

quærimus, infirmat. Ex his porro illud commodi, ut Suidas, qui Theſpidem Olympiade 61. victorem ſtatuit, & Plutarchus, qui Solonis ætate tragicos agones inſtitutos negat, facile concilientur. Illa vero me ratio impulit, ut Theſpiadeæ tragœdiæ initia circa Olympiadem 54. collocata vellem, quod ex harum tragœdiarum commentis Piſiſtrati ſcelus, & audaciam incitamenta ſumpſiſſe Solon exiſtimaverit, ut Laertius refert (1) *ubi ergo Piſiſtratus ſe ipſum vulneraſſet, inde, ait Solon, iſta pullularunt*. Non longe profecto a Theſpidis ætate certamina hæc inſtituta fuiſſe oportet; ſiquidem Phrynichus Theſpidis diſcipulus Olympiade 67. viciſſe fertur apud Suidam; neque enim Meurſio aſſentior, qui vel Suidæ vel librarii errore factum putat, ut Olympias 67. pro 87. poſita ſit: perperam temporis hanc notam vir doctus ſollicitat. Si enim Theſpis, ut idem contra Suidam contendit, Olympiade 50. docere tragœdias cœpit, qui fieri potuit, ut Theſpidis diſcipulus Phrynichus annis demum ab hinc centum, & amplius primum vicerit? Nemo hoc ſane facile ſibi perſuadebit; vidit hoc Bentleius, & Suidam contra Meurſium defendit, ut Kuſterus narrat; at Bentleii opus videre mihi nequa-

(1) *Laert. l. c.*

quaquam licuit. Ut ut ſit, neque enim incertam rem definire certo auſim, quum Suidas nemine, quod ſciam, diſſentiente Pratinam cum Æſchylo, & Choerilo Olympiade 70. certaſſe referat, ante hoc tempus ſcenica hæc certamina inſtituta fuiſſe non temere exiſtimo; neque enim tum primum eadem inducta autor animadvertit.

IV. Quater in anno ſcenicos agones habitos, cum veteres, tum recentiores ſcriptores conſentiunt, *annuis* ſc. *Panathenæis*, & *Liberalibus*. *Liberalia* porro triplicia apud Athenienſes fuiſſe norunt Græcæ hiſtoriæ non ignari. Prima atque omnium antiquiſſima, ut Thucydides teſtatur (1) Antheſterione menſe celebrabantur, atque *Antheſteria* idcirco appellata ſunt: eadem *Limnæa* dicta, quod antiquitus in Limnæi Bacchi templo agerentur; & χύτροι ab ultimo Antheſteriorum die, in quo celebrabantur, qui ἀπὸ τῆς χύτρας nomen ſortitus eſt, ab *ollis* nimirum, quæ omni genere coctorum ſeminum refertæ publice circumferebantur. Secunda quæ menſe Poſideone habebantur *ruſtica* ſeu κατ' ἀγρὺς, & *Lenæa* dicta ſunt: illud quod in agris agerentur, hoc vero ἀπὸ τῦ λήνυ, *a torcularibus*, quorum in vindemiis uſus. Tertia tandem, quæ menſe Ela-phe-

(1) *Thuc. lib. 11. §. 94.*

phebolione habita ſunt, *Dionyſiá* κατ᾽ ἐξοχὴν nuncupata, *Dionyſia magna*, & quod in urbe haberentur *Dionyſia* ἐν ἄστει. Hæc omnium celeberrima, eo quod, ut ait Palmerius (1), *tunc mari jam aperto tributa afferebantur Athenas ex inſulis aliiſque locis, & ideo extraneorum hominum turba tunc urbs erat referta, ac comœdiæ, & oblectamenta populo dabantur in Bacchi honorem*. Cave porro Seldeno, & Caſaubono credas, aut cum *antheſteria* majora appellata volunt, non ſatis hujuſce rei idoneus autor Ulpianus Demoſthenis Scholiaſtes, cujus teſtimonio nituntur: aut cum ἀστυκὰ τριετηρικὰ fuiſſe ſcribunt, id enim nullius veteris auctoritate aſſirmant. Plura de *Panathenæis*, & *Liberalibus* Meurſius, Caſtellanus, Corſinius, aliique, qui *Feriatam Græciam* nobis deſcripſerunt, quorum ego ſcrinia non expilabo. At duo ſunt, quæ non prætermittam, obſcura adhuc, & controverſa, quibus fortaſſis lucis aliquid afferri adhuc poſſe exiſtimo.

V. Illud igitur primum non ſatis apud Criticos explicatum invenio, utrum jam inde ab initio feſtis hiſce omnibus diebus tragœdi, & comœdi certarint. Ac Panathenæis quidem non ante Periclem factum puto,

(1) *Palm. Exerc. in Gr. Aut. p. 618.*

to, a quo, ut Plutarchus narrat (1), certamen muſicum in Panathenæa primum inductum: *tum primum ingenti ſtudio Pericles tulit, ut certamen muſicum Panathenæis celebraretur, digeſſitque id ipſe creatus Athlothetes, quemadmodum certantes tibia, vel voce, vel cithara canerent*. Tragœdos porro, & comœdos in theatro antiquitus cantaſſe, innuit Diomedes, ni fallor, cujus verba alio loco recitabo. Gravior de *Liberalibus* difficultas; negat Palmerius (2), atque Ariſtophanis ætate *Antheſteriis* agones nullos commiſſos contendit, nullo non autore, quum duos tantum Dionyſiacos agones Ariſtophanis ſcholiaſtes commemoret, *Aſtycum* ſcil. & *Lenæum* (3) ὁ τῶν διονυσίων ἀγὼν ἐπελεῖτο δὶς τȣ̃ ἔτȣς, τὸ μὲν πρῶτον ἔαρος ἐν ἄστει, ὅτε οἱ φόροι Ἀ'θlώαζεν ἐφέροντο: τὸ δεύτερον ἐν ἀγροῖς ὁ ἐπὶ λlωαίῳ λεγόμενος. *Dionyſiaci agones bis in anno celebrabantur; primum quidem vere in urbe quando tributa Athenis afferebantur; ſecundo autem rure, & ad Lenæum vocatur*. Addit his vir doctus, in prooemiis comœdiarum Ariſtophanis nullam inveniri fabulam, quæ acta Antheſteriis fuerit; at hoc leve ſane eſt, nam nec *Didaſcalias* omnes habemus; & in iis,

(1) *Plut. V. Pericl.*
(2) *Palm. l. cit.*
(3) *Sch. ad A'χαρ.*

iis, quas habemus, feſtus ſæpe dies omittitur, cujus rei non unum exemplum proferre poſſumus. Ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου Ἄρχοντος κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἑβδόμην ὀλυμπιάδα: πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης: ita Didaſcalia Medeæ Euripidis an.I. Olympiad.87. actæ: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἐπαμεινόνδου Ἄρχοντος ὀλυμπιάδι πζ' ἔτει δ': πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰόφων, τρίτος Ἴων: ita Didaſcalia Hyppolito ejuſdem præfixa, qui An.IV.Olymp.87.primas tulit Archonte Epaminonda, ſive Epaminone, ut Palmerius mavult (1):quæ tamen,ne ab Ariſtophane diſcedamus, omittitur. Feſtus Liberalium dies in ea, quæ *Pluto* præfixa eſt, ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀντιπάτρου ἄρχοντος, nempe An.IV. Olympiad. 97. ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ. Sed nec Scholiaſtis auctoritas ſatis me commoveret; ſuſpicandi tamen locus eſt, ut recte vidit Spanhemius (2), *Antheſteriorum* certamen aliquandiu intermiſſum, ac deinde Lycurgi oratoris lege, cujus meminit Plutarchus (3), reſtitutum fuiſſe, id ſane poſtulant ultima Plutarchi verba: εἰσήνεγκε δὲ καὶ τοὺς νόμους τὸν περὶ τῶν κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς χύτροις ἐπιτελεῖν, ἐγά-



(1) *Palm. l. c. p. 113.*
(2) *Spanh. not. in Ran.*
(3) *Plut. V. Lycur.*

*ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξὸν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα : introduxit vero & leges, nempe certamen de comœdis in Chytris theatrico æmulum, & victorem in civitatem adſcribi, quod prius non licebat, reſuſcitans certamen obliteratum* : Quocirca non a vero fortaſſe aberrat Palmerius, quum *Antheſteriorum* agones aliquandiu intermiſſos putat; at factum id Ariſtophanis ætate, vereor ut ſatis conſtet. Sublati ſane nondum fuerant, quum Euripides tragœdias ſuas docebat. In Piræo tunc agebantur, atque in iis certantem Euripidem frequens audiebat Socrates, quorum utrumque Demoſthenis, & Aeliani auctoritate poſt docebo. Niſi ſi quis poſt Euripidis mortem, cui diu ſuperſtes Ariſtophanes vixit, antiquatos fuiſſe velit; quod ego nec affirmare audeo, nec negare. Ut ut ſit, reſtituti tandem ſunt a Lycurgo, qui ~~Philippi Macedonis~~, & Alexandri Magni temporibus floruit. Longe tamen a vero recedit Petitus, cum ait Comœdorum, Tragœdorumque fabulas *Antheſteriis* primum actas Callia poſt Antigenem Archonte, anno nim.III. olymp.93. Virum doctum egregie deceptum, dum Ariſtotelis apud comici Scholiaſten verba interpretatur, optime vidit

dit Kuſterus (1): nihil enim aliud docet Ariſtoteles, quam Callia Archonte primum inſtitutum, ut bini Choragi ſumptus ad tragicorum, comicorumque commiſſiones neceſſarios ſuppeditarent, quo factum, ut Lenæi ludi minore apparatu, & ſumptu exhiberentur. At non multo poſt Cineſias ſumptus, quos Choragi ad ſcenicorum ludorum apparatum ſuppeditabant, vel ſuſtulit, vel auferre tentavit: neque enim ſatis ſibi conſtat eo loci Scholiaſtes, ſed Kuſterum ipſum videat qui plura cupit.

VI. At nec illa ſatis definita apud omnes quæſtio, eadem ne forent *Lenæa* & *ruſtica*, an ab iis alia, atque eadem, quæ *Antheſteria*. Placuit hoc Seldeno, Longruæo, Corſinio; illud vero Petito, Palmerio, & Spanhemio, quorum mihi multo probabilior videri ſententia ſolet. Nam primo vox ipſa ruſticum habet etymon: *Lenæa* quippe, ut dixi, ἀπὸ τȣ͂ ληνȣ͂: deinde, ut Ariſtophanis Scholiaſten omittam, de quo paulo poſt, aperte id docet Apollodorus apud Stephanum (2): Ληναῖος: ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς ἀπὸ τȣ͂ ληνȣ͂, Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ χρονικῶν: *Lenæus: certamen Dionyſi in agris a torculari: Apollodorus in tertio chronicorum:*



(1) *Not. ad Ran. v.406.* (2) *V.* Ληναιος.

*rum* : neque ſatis ſuadet Seldenus (1), quem Longruæus malis avibus expilavit, verba illa ἐν ἀγροῖς *futile eſſe ſive Hermolai epitomatoris , ſive alterius alicujus recentioris gloſſema* . Tertio *Chytros* a Lenæis diſtinguunt Thraſyllus apud Laertium , Ælianus , atque Athenæus (2) . Οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις, ὧν τὸ τέτρατον ἦ Σατυρικόν: *Sicut illi quatuor dramatis certabant , Dionyſiis , Lenæis , Panathenæis , Chytris , quorum quartum erat ſatyricum* , inquit Thraſyllus . Κεκήρυκται γὰρ διονύσια , καὶ λήναια , καὶ χύτροι : *præconio indicabantur Dionyſia , & Lenæa , & Chytri* , inquit Ælianus . Σὺ δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων σεαυτὸν εὐδαιμονίζεις . . . . λήναια , καὶ χύτρους θεωρῶν : *Tu vero Athenis , ubi ſolum manes, putas te beatum eſſe . . . . Lenæa , & Chytros ſpectans* : ita apud Athenæum leges . *Chytros* porro , ut ſupra dixi , ultimum Antheſteriorum , ſeu Limnaeorum diem fuiſſe , nemo eſt , qui non fateatur . Ad hæc *ruſtica* ex plauſtris antiquitus data fuiſſe , notior res eſt , quam ut hic probari a me neceſſe ſit . At *Lenæa* etiam è plauſtris acta apud Suidam invenio : ἐξ ἁμάξης , *de plauſtro : apud Athenienſes erat feſtum quoddam le-*

(1) *Not. ad Pſefiſ. Smyrn.*
(2) *Laert. V. Platon.* III. §. 56. *Ælian. H. A.* IV. 43. *Athen.* IV. 8.

*Lenæa vocatum, in quo Poetæ certabant, conſcribentes quaſdam cantiones, riſus movendi gratia : quod Demoſthenes dixit* ἐξ ἁμάξης *: In plauſtris enim ſedentes hæc poemata dicere, & canere ſolebant. Chorus autem Lenæorum vocabatur Lenaites*. Hæc Suidas; quæ ad ea tempora referes, quibus rudis adhuc, atque imperfecta ſcenica res fuit: duo porro *Liberalia* è plauſtris habita, nemo mihi ſine teſte perſuadebit. At non prætermittendus inſignis Demoſthenis locus *in Midiana*, ubi *Lenæa* ab Antheſteriis diſtincta ſunt, & qui Seldenum apertiſſime coarguit : Εὐήγορος εἶπεν, ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ, καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί: καὶ ἐπὶ Ληναίῳ ἡ πομπὴ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί: καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες, καὶ ὁ κῶμος, καὶ οἱ κωμῳδοὶ, καὶ οἱ τραγῳδοί : *Evegorus dixit : quum pompa ducitur in Piræo agunt Comœdi, & tragœdi : item Lenæa pompa, & comœdi, & tragœdi : & Dionyſiacis in urbe pompa, & puerorum Chorus*† *& comœdi, & tragedi*. + et Comus Tria hic *Liberalia* numerari nemo non videt; ſunt porro ea primum, quæ in Piræo agebantur, tum *Lenæa*, demum *urbica* : ac priora quidem quin *Antheſteria* ſint, non dubitat Petitus, nec diſſentit Spanhemius; *Sunt igitur*, inquit Petitus (1) *pri-*



(1) *Ad Leges Atticas p. 46.*

*prima illa Dionyſia* ἐν Πιραιεῖ *antiquiſſima* *quæ in Limnis peragebantur menſe Antheſteſterione, quomodo igitur dicendum in Piræo? Sane non poteſt; nam ſi in Piræo celebrabantur, non igitur in Limnis, nam Limnæ intra urbem.... Eſt igitur mendum in his* ἐν Πιραιεῖ : *quare reſcribendum putamus* ὅταν ἡ πομπὴ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ κωμῳδοὶ &c. *quando pompa Libero ducitur, ſiquidem id ſemper comœdis &c.* „ hæc ille, qui ut emendationem hanc ſuam perſuadeat multa ingenioſe diſputat, quæ apud eum leges, ſi voles, non enim mihi perſuaſit: nihil omnino mutandum. Spanhemio aſſentior, qui ubi theatrum in Piræo extructum fuit, cujus Xenophon, & Thucydides meminerunt (1), antiquiſſimorum illorum *Liberalium* pompam, quæ prius in Limnæi Bacchi templo agebatur, in Piræum dehinc, in quod per longos muros brevis erat ex arce excurſio, translatam cenſet. In Piræo Tragicorum certamina jam inde a Socratis ætate habita, teſtis Ælianus (2); refert enim, ut ſupra innuebam, Philoſophum hunc toties in Piræum deſcendiſſe, quoties illic Euripides certabat: καὶ πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου, καὶ ἐκεῖ κατῄει. At Heſychium nobis opponit Seldenus, atque ejus ſe potiſ-

(1) *Xen.* ἑλ. II. §. 22. *Thuc.* VIII. §. 93. (2) *Ælian. Var.* II. 13.

ciſſimum auctoritate tuetur. Age ergo quid Lexicographus proferat videamus, an tanti ſit, ut vadimonium deſerere, & cauſa cadere debeamus.

VII. Quatuor ſunt Heſychii loca, quæ Seldenus (1) protulit: ab eo primum exordiar, quo *Lenæa* a *Ruſticis* Heſychius diſtinxiſſe videtur: Διονύσια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣ Διονύσῳ ἤγετο, τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ κλαῖα μηνὸς Ληναιῶνος, τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. *Dionyſia, feſtum Athenis, quod Baccho fiebat, aliud quidem in agris menſe Poſideone, aliud vero* κλαῖα *menſe Lenæone, aliud autem in urbe menſe Elaphebolione*: quomodocumque illa τὰ δὲ κλαῖα corrigenda ſint, quæ nihili ſunt, triplicia hic Dionyſia ſuis ſingillatim menſibus ab Heſychio ordinata cenſet Seldenus, quorum prima quum ſint *Ruſtica*, quæ Poſideone menſe agebantur, tertia *Urbana*, quæ menſe Elaphebolione; illud neceſſario ſequitur, ut ſecunda non alia ſint, quam Limnæa, ſeu *Antheſteria*, quæ ἀρχαιότερα a Thucydide nuncupantur: hinc recte, qui τὰ παλαιὰ, vel cum Daniele Heinſio τὰ ἀρχαῖα eo loci, pro τὰ κλαῖα, legendum exiſtimarunt. At cur Dionyſia hæc, quæ Antheſterione menſe agebantur, Lenæone acta He-

 ſy-

(1) *Seld. l. c. p. 139.*

ſychius ait? Si Seldenum, ejuſque ſectatores audis, eo ſcilicet, quod *Lenæa*, & *Antheſteria* eadem eſſent, atque utroque ex nomine menſis, quo agebantur, modo *Lenæon*, modo *Antheſterion* dicebatur: *duplex feſti nomen binominem ipſum menſem fecit; ut ab Antheſteriis Antheſterion, ita a Lenæis Lenæon formatur*. Hæc Seldenus, cui plura ſunt, quæ reponi poſſint. Ac primum Heſychii locum neutiquam corruptum Petitus cenſet, & duo tantum *Liberalia* eo commemorari exiſtimat (1): *dicit Heſychius* Διονύσια κατ' ἀγροὺς *celebrari menſe Poſideone*: τὰ δὲ κλαῖα μηνὸς Ληναιῶνος, *ſed nomen, famamque ſortiri, & accipere a menſe Lenæone, qui procul dubio idem apud Athenienſes cum Poſideone*: hæc tu probabis, ſi voles, ego inepta pene dixerim. Corruptus ſane locus ille eſt, & medicas manus poſtulat: *hujus loci caput, & pedes*; inquit Palmerius (2), *ſani, media infirma ſunt, quæ ut ſanentur poſt* Ποσειδεῶνος *legendum* τὰ δὲ ἀρχαῖα μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος &c. Palmerio ſubſcribit Spanhemius. Non defuerunt, qui τὸ δὲ πάλαι μηνὸς ληναιῶνος legerent, uti Marshamus (3), a quo profecto non abhorreo, licet perperam factum contendat Seldenus,

nam

(1) *Petit. l.c.*
(2) *Palm. l.c. p.619.*
(3) *Marſham. Chr. p.655.*

*nam tunc*, inquit, *duplicia tantum Liberalia Herſychius memoraret*. At hoc ipſum Ariſtophanis Scholiaſtes, ut vidimus, affirmabat, quem ſi ab Heſychio exſcriptum dicam, quo me teſte refellet Seldenus? Sed rejiciat ſi velit, alterutrum neceſſe eſt, aut deceptus Heſychius fuerit, aut ita ſcripſerit, ut Palmerius emendavit, ſi vera ſcripſit. Sic enim ſtatuo, *Antheſterionem* Atticorum menſem eum neutiquam eſſe, qui Lenæon a quibuſdam nuncupatus eſt. Ut enim Corſinius (1) id invictiſſime a Prideauxio (*Seldeno* ſcribendum fuerat) demonſtratum fuiſſe ſibi perſuaſerit, atque aliis perſuadere velit, *non ego credulus illi*. Ac primum *Lenæa* Atticorum a *Chytris*, nempe ab *Antheſteriis* diſtincta, ac diverſa ſunt, ut Thraſylli, Demoſthenis, Æliani, atque Athenæi teſtimonio palam fecimus, quibus Lexicographum nemo prudens prælatum velit: præſertim quum Autoris hujus codices corruptiſſimi ſint, ut Bentleius (2) fatetur, qui mendorum plus minus quinque millia ſe correpturum olim ſpondebat. Deinde *Antheſteria*, ſeu ἀρχαῖα Dionyſia hieme labente, atque adeo veris initio acta ſunt: *Lenæa* vero autumno, ſeu potius hieme immi-

(1) *Corſ. Faſ. Att. diſ. XIII. p. 327.*

(2) *Bentl. epiſt. ad Joan. Mill. p. 39.*

minente ; quum mare clauſum jam foret ; quod a III. id. Nov. ad uſque diem VI. id. Maii factum eſt (1). Autumno Lenæa acta docet Comici Scholiaſtes (2) ; τὰ δὲ ληναῖα ἐν τῷ μετωπώρῳ ἤγετο, ἐν οἷς ȣ̓ παρῆσαν οἱ ξένοι, ὅτε τὸ δρᾶμα τȣ̃το οἱ Ἀχαρνεῖς, ἐδιδάσκετο. *Lenæa autem in autumno habebantur : in his non aderant peregrini, quando hoc drama Acharnenſium actum eſt*. Idem paulo poſt, vel alius fortaſſe, Lenæa hieme imminente celebrata ait (3). Τὸ δεύτερον ἐν ἀγροῖς, ἐπὶ Ληναίῳ λεγόμενος, ὅτε ξένοι ȣ̓ παρῆσαν Ἀθηνῆσι. χειμὼν γὰρ λοιπὸν ἦν. *Alterum in agris. ἐπὶ Ληναίῳ dictus ; quando peregrini non aderant Athenis, hiems enim imminebat*. Neuter tamen ἀκριβῶς locutus, hieme ſiquidem Lenæa acta cenſeo : Poſideon enim, quo habebantur, hibernus menſis fuit. Acta porro hiberno tempore, & Poſideonis initio Diodori Siculi auctoritate confirmare me poſſe video (4). Narrat Græcus hiſtoricus, Dionyſium ſeniorem Siracuſarum Tyrannum, pactis hieme inſtante (τȣ̃ χειμῶνος ἐνστάντος) cum Carthaginienſibus induciis, paulo poſt (μετ᾽ ὀλίγον χρόνον) dum epulis, & compotationibus, ob relatam *in Lenæis* victoriam, indulget, in morbum incidiſſe, atque ex

eo

(1) *Vid. Reget. IV. 39.*
(2) *Schol. ad* Ἀχαρ.
(3) *Schol. ib. v. 503.*
(4) *Diod. lib. XV. n. 73. 74.*

eo mortuum. Obiit igitur Dionyſius cum hiems adhuc in curſu eſſet. Finge enim animo *Lenæa*, ut Seldenus, aliique volunt, XIII. Antheſterionis habita, victoriæ, quam in iis Dionyſius tragœdia retulit, nuncius, ut ſecundis ventis navigaverit, Athenis Syracuſas, non niſi Antheſterione cadente pervenire potuit; victoriæ nuncium convivia excepere, tyranni morbus, atque ex eo mors, quæ, ut citius, initio Elaphebolionis, qui Antheſterionem ἀμέσως excipit, ſtatuenda erit. At hoc Diodorus non patitur, qui Dionyſium non multo poſt induciis τοῦ χειμῶνος ἐνςάντος pactis mortuum ſcribit. At omnia belle quadrant, ſi *Lenæa* Poſideonis initio mecum ſtatuas. Autumno labente induciæ, menſe ſcilicet Pyanepſione, tum Athenis Poſideonis initio *Lenæa*, in quibus Dionyſii tragœdia palmam tulit; Poſideone labente Syracuſas Dionyſius obit; ſumma nimirum hieme μετ' ὀλίγον χρόνον poſt inducias. Alia Dodwelli ratio (1); at ego a ſententia non diſcedo. Vernum in tempus *Antheſteria* incidiſſe, ex duplici Plutarchi loco, qui Antheſterionem menſem *vernum* fuiſſe ait, facile intelliges: καὶ μὲν οἶνου τε τὸ νεοῦ πρωϊαίτατα πίνοντες, Ἀνθεςηριῶνι πίνουσι μηνὶ μετὰ χειμῶνα, inquit priori loco (2): *jam vinum* *quo-*

(1) *Dodw. Chr. Xenoph. p. 77.* (2) *Plut. VIII. Symp. 9. 10.*

*quoque qui bibunt, citiſſime Antheſterione menſe bibunt, qui poſt hiemem ſubſequitur*: locus alter eſt in vita Syllæ: ἑλεῖν δὲ τὰς Ἀθήνας αὐτός φησιν ἐν ὑπομνήμασιν Μαρτίαις καλένδαις ἥπερ ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος: *ſe cæpiſſe autem Athenas ipſe narrat in commentariis Kalendis Martiis, qui dies plane incidit in neomeniam Antheſterionis*. Sed hæc fortaſſe recentiora; illa egregia, quæ apud Demoſthenem leges (1), qui quum ea recitari juſſiſſet, quæ *verno* Pylæo, ſeu concilio ab Amphyctionibus Clinagora ſacerdote decreta fuerant; tum ſubdit, acta hæc μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ, quæ, dum altum dormit interpres, vertit XVI. Novembris, quæ potius Februarii XVI. vel XV. contigiſſe oportuit, ſi quæ illic narrantur an. I. Olymp. CX. vel ſequenti, acta ſunt, ut Corſinius exiſtimat. Sed non illud hic diſputo, an cum Romanorum *Martio* Atticus *Antheſterion* ex æquo decurreret: non a vero fortaſſe diſcedit Dodwellus, quum cenſet Plutarcho, Appiano, aliiſque Græcorum veteris Romanorum anni formam non aliunde exploratam fuiſſe, quam ex ratiocinio; *quod enim ſemel evenit Sullæ tempore, ut cum neomenia Antheſterionis calendæ Martiæ inciderent, id illi per-* pe-

(1) *Demoſt. or. pro Cor. p.335.*

*petuum arbitrati, exinde de Græcorum Romanorumque annis, menſibuſque univerſis invicem conferendis ſtatuebant* (1). Quamquam Antheſterionis neomeniam in Kalend. Martias incidiſſe negare videtur Petavius (2). Ut ut ſit, illud contendo Antheſterionem fuiſſe menſem *vernum*; neque eo celebrari Lenæa potuiſſe, quæ hiemis initio agebantur. Adde, quod, ut Iſter docet (3), nactus id nominis hic menſis eſt, quod, quæ ex terra oriuntur, tum plurima floreſcant: Ἴϛρος δὲ ἐν τοῖς τῆς συναγωγῆς κεκλῆσθαί φησιν αὐτὸν, διὰ τὸ πλεῖϛα τ̃ ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν τότε: *Iſter autem in collectionibus ita illum appellari ait, quod tum plurima è terra floreant*. Novi ſane Theodorum Gazam ἀπὸ τοῦ ἀνθέων ϛερεῖν τὴν γῆν nominis etymon derivaſſe: apte in rem ſuam, qui Antheſterionem ex octava in ſextam menſium ſedem tranſtulit: at perperam id factum, quæ attulimus, ſane oſtendunt. Ex his patet porro menſi huic non ex *Dionyſiis*, quæ eo menſe agebantur, nomen datum, ut Seldenus, aliique non bene exiſtimarunt, ſed *Dionyſia* ex menſe, quo acta ſunt, nomen ſortita.

VIII. Neque magis altero Heſychii loco Seldenus proficit, qui ex eo Antheſterionem

(1) *Dodw. de Cicl. diſſ.* 11.

(2) *Petav. de D. T. lib.* 1. *c.* 21.

(3) *Apud Harpocr. v.* Ἀνθεϛήριον.

nem eumdem eſſe ac Lenæonem evinci manifeſto putat : λlωαίων μὴν . . . ὀυδένα τῶν μηνῶν Βοιωτὸι ὄυτω καλȣ̃σιν . Εἰκάζει δὲ ὁ Πλȣ́ταρχος Βȣκάτιον , καὶ γαρ ψυχρός ἐςιν , ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον , ὃς μετὰ τὸν Βȣκάτιόν ἐςιν . ϰ̀ γάρ Ἀθηναῖοι τlὼ τῶν Ληναίων ἑορτlὼ ἐν ἀυτῷ ἄγȣσιν . Hæc Heſychius , quæ ſic interpretor , pro ὀυδένα , cum Buherio legens ὅν ἕνα : *Lenæon menſis ... Sic unum menſium Bæoti appellant: ſuſpicatur Plutarchus Bucatium eſſe , nam & hic frigidus eſt . Alii Hermæum eſſe volunt , qui Bucatium ſequitur . Nam & in eodem Lenæorum feſtum celebrant Athenienſes* . Hæc dum ſcriberet Heſychius ad eum Heſiodi verſum (1)

Μῆνα δὲ ληναιῶνα κακ' ἤματα βȣ́δορα πάντα ,
Τȣ̃τον ἀλεύασθαι ,

reſpexiſſe Seldeno aſſentiar ; at non ea probo , quæ deinde ſubdit : *Menſis igitur , quo Lenæa peragi ſolita , Hermæo Boeotorum reſpondet , ideſt ſecundo eorum menſi : nam Bucatius eis , annum a Solſtitio hiberno auſpicatis , primus erat , quod docet Plutarchus in* Pelopida . *Hic itaque Gamelioni Attico reſpondet ; ſecundus igitur , nempe Hermæus, Antheſterioni , adeoque Antheſterionis ſacra ſunt , quæ Lenæa dicta* . Erras, mi Seldene , atque illud primum dico , quem menſem Heſio-

(1) Heſ. Ἐρ. ϰ̀ Ἡμ. v. 504.

ſiodus *Lenæonem* vocaverit incertum ſatis eſſe. At quiſquis fuerit, Heſiodi *Lenæonem* hiemalem fuiſſe certiſſimum mihi eſt. An non hiemalem menſem deſignant, quæ proxime ſequuntur?

. . . καὶ πηγάδας αἵτ' ἐπὶ γαῖαν
Πνεύσαντος Βορέαο δυσηλεγέες τελέθουσιν.
. . . *& glacies, quæ quidem ſuper terram*
*Flante Borea, moleſtæ exiſtunt.*

Hinc Decembrem, aut Januarium eſſe Heſiodi *Lenæonem* ejuſdem interpretibus Moſchopulo, Proclo, & Tzetze non ægre aſſentior; neque abnuo, quin primus Boeotorum menſis *Bucatius* fuerit, quum id Plutarchus Bœotus aperte teſtetur. ὅτι τοῦ νόμου κελεύοντος ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ παραδοῦναι τὴν βοιωταρχίαν ἑτέροις, ὃν Βουκάτιον ὀνομάζουσιν (1): *quum lege ſancitum eſſet ab iis dari Boeotarchiam aliis primo menſe, quem vocant Bucatium*: Deinde quæro, an illi menſi, quem *Lenæonem* Heſiodus dixit, datum id nominis ſit, quod Atticorum Lenæa eodem celebrarentur? Qui id Seldenus efficit? Annon ex alio Bacchi apud Boeotos feſto die *Lenæus* dici potuit? quum *Lenæus*, a Poetis præſertim, Bacchus ipſe appelletur? Atque hoc ſane diligenter animadverti volo, ne de Lenæis cogitemus ſtatim ac Bacchum Lenæum no-

(1) *Plut. V. Pelop. p.290.*

nominari videmus. Ita ſane accipies *Lenæi* nomen apud Ariſtophanis Scholiaſten (1). ubi χόας alterum *Antheſteriorum* diem ἑορτὴ Διονύσου Ληναίου vocat, ni perperam huc vox iſta irrepſit, Bacchi *epithetus* eſt; neque enim χόες ad Lenæa pertinebant. Cæterum quam ſit hujus nominis etymon apud Boeotos incertum, ſatis profecto oſtendunt veteres Heſiodi Scholiaſtæ; alii, quod eo menſe *Ambroſia* Baccho ſacra celebrarentur; alii, quod eo uvæ importarentur, alii alia. Vidit hæc Giraldus (2), nec diſſimulavit Dodwellus (3), quamvis *Lenæa* Antheſterione menſe acta & ipſe arbitretur. *Hermæum* porro, quem Attico Antheſterioni reſpondiſſe nonnulli putant, Lenæonem nuncupatum, non Heſychius, ſed alii apud Heſychium arbitrati ſunt, quorum auctoritatem facile mecum contemnes. *Hermæum* Attico Gamelioni comparat Proclus (4); at in eo turpiter errat, quod *Lenæa* eo menſe apud Athenienſes habita fuiſſe ſcribit. *Lenæonem* Smyrnæorum, & Magneſiorum menſem fuiſſe ſcio, cum Ariſtidis (5) teſtimonio, tum Arundelliani marmoris Ariſtide vetuſtioris auctoritate; neque horum dumtaxat, ſed Cyzicenorum etiam, ut monumenta ſuperio-

ri-

(1) *Schol. ad* Ἀχαρ. *v.* 960.

(2) *Girald. de an. & menſ. p.* 782.

(3) *Dodw. de Cicl. diſ. V. §.* 18.

(4) *Procl. ad Heſiod. l. c.*

(5) *Ariſt. Or. Sacr.* 1. *p.* 492.

ribus annis Cyzici reperta, atque a Caylus (1) allata manifeſto oſtendunt. At quid inde efficies? Nihil profecto aliud, quam Smyrnæis, Jonibus, ac Cyzicenis *Lenæonem* alium fuiſſe a *Poſideone*, quod nemo inficiabitur, cui ſanum ſit ſinciput: *Poſideoni* quippe *Lenæon* ἀμέσως ſubiicitur tum apud Ariſtidem, tum Cyziceno in lapide. At Jonum, Smyrnæorum, ac Cyzicenorum *Lenæonem* eumdem eſſe, ac *Antheſterionem* Athenienſium nemo inde profecto efficiet; præſertim cum alia eſſet Jonum, ac Cyzicenorum, alia Atticorum anni forma, menſium ordo alius, alia nomenclatio. Atticis, ut hoc tantum innuam, *Poſideoni* proximus *Gamelion*, Jonibus, Smyrneis, & Cyzicenis, *Lenæon*: huic vero apud Cyzicenos *Antheſterion*.

ΕΠΡΥΤΑΝΕΥΣΑΝ ΜΗΝΑ ΛΗΝΑΙΩΝΑ ΚΕΚΑΛΛΙ.....

ΜΗΝΑ ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΑ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΑΛΛΙΠΑΡ....

quod Seldeni cauſam apertiſſime jugulat. Illud etiam multo minus efficiet, Smyrnæorum *Lenæonem* ab Atticis Lenæis nomen ſortitum. Smyrnæ primo vere Dionyſia acta teſtatur profecto Ariſtides (2): hæc in

C *Le-*

(1) *Cail. T. 11. Tab. 69. 70.* (2) *Or. in Smyr. p. 402.*

*Lenæonem* hunc, ſi quis cum Jebbeo (1) incidiſſe velit non repugnabo; at ea fuiſſe Athenienſium *Lenæa*, id vero negamus. Neque vero prætermittendum miſero eos labore torqueri, qui veteris Græciæ, atque Aſiæ menſes componere ſimul tentant, neque animum advertunt, quam varia, atque inconſtans, quam ſæpe mutata fuerit apud Græcos, atque apud Aſiaticos menſium ratio, atque ordo. Sed ad Heſychium revertamur, cujus autoritate abuti pergit Seldenus.

IX. Tertius Heſychii locus ille eſt, quo Lexicographus Lenæa in *Limnis* acta ſcribit. Λίμναι, inquit, ἐν Ἀθήναις τόπος ἀνειμένος Διονύσω, ὅπȣ τὰ λήναια ἤγετο. *Limnæ locus Athenis Baccho ſacer, ubi Lenæa habebantur*. Locum hunc ſic emendat Petitus, Λίμναι ἐν Ἀθήναις .... ᾧ πȣ τὰ λήναια ἤγετο (2): *Limnæ locus Athenis Bacco ſacer, cui alibi Lenæa celebrantur*: nugæ, lege mecum ὅπȣ τὰ λίμναια, & nihil erit, in quo Seldenus Heſychio autore exultet. *Limnæa*, quæ, & *Antheſteria in Limnis* antiquitus habita jam diximus. Quartus Heſychii locus hujuſmodi eſt. Ἐπὶ ληναίῳ ἀγών. ἐςὶν ἐν τῷ ἄςει λήναιον. περίβολον ἔχων μέγα, ϗ ἐν αὐτῷ ληναίȣ Διονύσου ἱερὸν, ἐν ᾧ ἐπετελȣ̃ντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων. πρὶν

(1) *Jebb. Vita Ariſtid.*

(2) *Pet. ad Leg. Attic. p.44.*

πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι. *In Lenæo certamen: eſt Lenæum in urbe magnum habens ambitum, atque in eo Lenæi Bacchi templum, in quo peragebantur Agones Athenienſium ſcenici, antequam theatrum foret conſtructum.* Huic etiam loco manus admovit Petitus (1), legitque, ἐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν. ἔτι ἐν τῷ ἄστει Λήναιον περίβολον &c. *non dicit Heſychius, Lenæum eſſe intra urbem, ſed hoc tantum* ἐπὶ Ληναίῳ ἀγῶνα, *alterum etiam fuiſſe liberalium ſcil.* τῶν κατ' ἄστυ, *quæ menſe Elaphebolione celebrabantur, deinde quid ſit Lenæum docet.* At neque hic felicior fuiſſe mihi videtur Vir doctus: id & Spanhemio viſum, qui, ne Heſychium adverſarium patiatur, reponit, *Lenæa* acta quidem in agris quum Attica vicatim habitabatur, ſeu quum in agris degebant Athenienſes: verum deinde aucta urbe, & qui in agris morabantur in eam collectis, celebrata in urbe in Lenæo Bacchi templo, tum in theatro, ubi hoc exſtructum eſt. Equidem ægre facio, ut a doctiſſimo viro diſſentiam, at diſſentire me cogit Theophraſti, & Iſæi autoritas, qui *Ruſtica*, nempe *Lenæa*, Spanhemio non diſſentiente, *ruri* tum etiam habita fuiſſe docent, quum jam non amplius vicatim Attica habitaretur, & theatrum in urbe extru-

 ctum

(1) L. c.

ctum foret : Ποσειδεῶνος δὲ τὰ κατ᾽ ἀγρὰς Διονύσια : *Poſideone quæ ruri habentur Dionyſia*, inquit Theophraſtus (1) : apud Iſæum vero Demoſtenis magiſtrum, cujus locum Spanhemius idem recitat (2), ſic Cironis ex filia nepos loquitur : ἀλλὰ καὶ εἰς Διονύσια εἰς ἀγρὸν ἦγον ἀεὶ ἡμᾶς, καὶ μετ᾽ ἐκείνου τε ἐθεωροῦμεν καθήμενος παρ᾽ αὐτὸν, καὶ τὰς ἑορτὰς ἤγομεν παρ᾽ ἐκεῖνον πάσας. *Sed & ad Dionyſia nos in agrum ducebat, & cum illo ſpectabamus, & feſta omnia ſedentes apud eum agebamus*. Igitur, ſi me audis, lege apud Heſychium, ἐπὶ ληναίῳ ἀγάιν. ἐστὶν ἐν τῷ ἀγρῷ, ſive ἐν τοῖς ἀγροῖς; atque illa ἐν τῷ ἄστει deleto; *Lenæum* enim templum in agro fuiſſe docet Ariſtophanis Scholiaſtes (3) : τὰ λήναια λεγόμενα : ἔθεν τὰ λήναια, καὶ ὁ ἐπιλήναιος ἀγὼν τελεῖται τῷ Διονύσῳ, λήναιον γάρ ἐστιν ἐν ἀγροῖς ἱερὸν τοῦ Διονύσου, διά τὸ πλεκτοὺς ἐν αὐτῷ γεγονέναι, ἢ διὰ τὸ πρῶτον τὸν ἐν τούτῳ ληνὸν τεθέναι. *Dionyſia Lenæa dicta : inde Lenæa, & agon epilenæus Baccho celebratur; Lenæum enim in agro templum Bacchi ſic dictum, quod textus ibi facti, aut primum poſita torcularia*. Neque vero dubito, quin in agris Theatrum aliquod, quo Lenæa, & ſcenici agones agerentur, exſtructum tandem fuerit,

ne

(1) *Theoph. caract. c. 12.*
(2) *Spanh. l. c.*
(3) *Schol. ad Ἀχαρ. v. 201.*

ne Heſychio falſi crimen dicam, quod ſane non temere fortaſſe facerem. Suſpicor enim Alexandrinum Lexicographum, quæ de Limnæi Bacchi templo, ubi, antequam in Piræo theatrum extructnm foret, agones *Antheſteriorum* agebantur, ad *Lenæum* templum, & *ruſticos* agones tranſtuliſſe. Sed & Heſychium, & Spanhemium, & reliquos, quos nominabam, facile componi poſſe video, ſi dicas *Lenæis*, ubi in iis tragici, comicique Agones agi cœpti, hi quidem *in urbe* acti, primum *in Lenæo*, tum in theatro; reliqua vero, quæ ad Dionyſiacam pompam ſpectabant, in agris celebrata. At ex his emergamus tandem aliquando, & quæ pluribus de hiſce diſputavimus, paucis complectamur.

X. Primi igitur, atque omnium antiquiſſimi Agones in Bacchi *Limnæi* templo, haud procul ad Athenarum arce, circa hiemis finem *Antheſterione* menſe acti: hinc iiſdem Λιμναιῶν, & Ἀνθεστηριῶν nomen: χύτροι etiam nuncupati, quod tertia eorumdem *Liberalium* die, quæ χύτροι dicebatur, habiti ſint. Hi deinde in Piræo habiti, theatro illic exſtructo, & aliquando intermiſſi Lycurgi Oratoris lege reſtituti ſunt; uti ex Demoſthene, Æliano, & Plutarcho collegimus. *Secundi* omnium celeberrimi acti menſe Elaphebo-

ſione Liberalibus, ſeu Dionyſiacis, quæ *ἐν ἄστει*, in inferiori ſcil. Urbis parte, qua maxime Athenæ conſtabant, & cui *ἄστυ* nomen remanſerat. Tertii *Poſideone* menſe celebrati, qui & *Ruſtici*, & *Lenæi* a *Torcularibus* nuncupati ſunt. Quarti tandem *Panathenaici*, qui minoribus, atque annuis *Panathenæis* agebantur xx. Thargelionis menſis die, ut Meurſius, aliique putant, at verius fortaſſe circa xiv. Hecatombæonis, ut Corſinius, atque ante Corſinium Petitus, exiſtimavit; eodem ſcil. menſe, quo majora ſingulis quinquenniis celebrabantur. At illud pene omiſeram; quod ſcire tamen refert, veteres *Didaſcalias*, & Comœdiarum *hypotheſes*, ubi narrant quibus Ludis actæ ſint Fabulæ, vocem illam *Διονυσίοις* vel *Διονύσια* ſæpe omittere, atque ita rem efferre, *ἐν ἄστει, εἰς ἄστυ: ἐν ληναίοις*, vel *εἰς λήναια*: uſurpatum etiam invenio *ἐπὶ ληναίῳ*, uti in *Didaſcalia Ranarum* Ariſtophanis: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου Ἄρχοντος τοῦ μετὰ Ἀντιγένη ἐπὶ ληναίῳ, Φιλωνίδης ἐπεγράφη, καὶ ἐνίκα: Φρύνιχος δεύτερος Μούσαις: Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι. *Acta Callia poſt Antigenem Archonte*, an. ſc. III. Olymp. 93. *ἐπὶ ληναίῳ, agone Lenaico, Philonides egit, & vicit; Phrynichus ſecundus Muſis; Plato Cleophonte tertius*.

XI. Tragœdorum, Comœdorumque agones

nes *Liberalibus* habitos facile quiſque intelligit; ſacra Baccho theatra, ſcenicique ludi Theatrorum proprii, quæ vel *προηγȣμένως*, vel *κατ᾽ ἐπακολȣ́θημα* ad Bacchi honorem referuntur. At illud mirum eoſdem Panathenaicis commiſſos. Quid enim Baccho cum *Panathenæis*, quæ Minervæ ſacra fuiſſe & pueri ſciunt? Non eſt tamen cur id quiſpiam miretur, non mediocris enim cum Baccho Minervæ cognatio, ut Græcorum veteres tradiderunt. Bacchi pueri cuſtodem Minervam fuiſſe refert Diodorus (1): *ut vero ab inſidiis novercæ eo tutior foret, cuſtos adhibetur Minerva, quam paulo ante hoc tempus ad Fluvium Tritonem terra ediderat*: Cum eodem pugnavit deinde contra Saturnum, ut idem narrat (2). Nec leve illud, quod apud Nonnium legiſſe memini (3), Baccho contra Indos pugnanti, metùque Junonis perterrito, ac fugienti, non Cererem, licet hujus Πάρεδρος Bacchus foret, ſed Minervam ab Jove miſſam fuiſſe, quæ illum excitaret, atque ad pugnam revocaret:

*. . . . venit ergo Minerva,*
*E cælo præmiſerat enim internunciam . . .*
*Jupiter,*
*Fratrem ut fugientem metu perterrefactum*
*Junonis*

 *In*

(1) *Diod. lib. III. p. 142.*
(2) P. 143.
(3) *Nonn. Dionyſ. lib. 30. p. 495.*

*In pugnam traheret . . . . . .*
*Quo fugis Bacche ? Quid tibi mens ante bellum ?*
*Ubi ſunt tui validi Thyrſi , & Sagittæ ?*
*De te quem ſermonem meo Jovi vociferabor ?*
*. . . . . . . . . . Fratrem non te vocabo*
*Deriadem fugientem , & imbellem genus Indorum . . .*
*Sic locuta Baccho robur inſpiravit .*

Quid mirum igitur ſi Pericles, aut alius quiſpiam Panathenæa non ſine ſcenicis ſpectaculis agi voluerit ? Sed de his hactenus : age nunc quibus legibus certamina hæc haberentur videamus .

XII. Ac primum vetus illa Athenis lex , quam Ariſtophanis Scholiaſtes (1) commemorat : νόμος δὲ ἦν , μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν, μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες τριάκοντα : *Lex erat , quæ in ſcenam prodire , & publice docuiſſe vetaret , qui quadrageſimum, aut , ut alii volunt , trigeſimum annum non attigiſſet* : hujuſce rei cauſa factum , ut primam ſuam Fabulam , Δαιταλεῖς inſcriptam , alieno nomine Ariſtophanes exhibuerit , ut aperte narrat Scholiaſtes , & per ambages idem innuit Comicus (2) .

Κἀγὼ ( παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν κοὐκ ἐξῆν πω μοι τεκεῖν )

Ἐξέ-

(1) *Sch. ad Neφ. v.530.* (2) *L. c.*

Ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
Ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως, κἀπαιδεύσατε.
*Et ego (namque adhuc eram virgo, nec licebat mihi parere)*
*Expoſui fœtum, quem quæpiam alia ſubſtulit,*
*Vos autem educaſtis ingenue, atque inſtituiſtis probe.*

Ex quibus ſuſpicandi locus, ni fallor, hujuſmodi lege, non *Hiſtriones* dumtaxat, ut Petitus (1) exiſtimare videtur, ſed ipſos etiam Comœdiarum autores adſtrictos. Quid enim erat, cur Fabulæ autor lateret, ſi eorum tantum cauſa, qui Fabulam in ſcena agebant, ſancita lex fuerat? Ut ut tamen ſit, nihil de Tragœdiarum ſcriptoribus hac lege rogatum facile credo: lego enim Græcorum in chronico (2), Sophoclem annos natum fuiſſe duo detriginta, cum primam Fabulam docuit, atque inſigni victoria Æſchylum ſuperavit: ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλου ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἐτῶν ὢν ΔΔΠΙΙΙ ἔτη ΗΗΠΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀψηφίωνος: *Ex quo Sophocles Sophilli F. Coloneus Tragœdia vicit, quum eſſet annorum* XXVIII. *anni* 206. *Archonte Athenis Apſephione*: atque apud Suidam de Æſchylo, ἠγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ Ὀ

Ὀλυμ-

(1) *Petit. ad Leg. Attic. p. 73.* (2) *Epoc. 57.*

Ὀλυμπιάδι ἐτῶν ὢν ΚΕ: *certavit autem Olympiade ſeptuageſima, quum eſſet annorum* xxv. certavit nimirum cum Pratina, & Kœrilo, ut dixi. Niſi ſi quis poſt Æſchylum & Sophoclem legem illam rogatam velit, de quo non hic contendam. Cautum Athenis, ne quis Fabulam populo daret, niſi prius judicaſſet Magiſtratus, eam hujuſmodi eſſe, quæ nec legibus repugnaret, nec mores corrumperet, ſcribit Voſſius (1): optima ſane lex, at quando, & a quo lata fuerit, nec Voſſius docet, nec reperire uſpiam potui. Video ſane hoc Platonem voluiſſe, lego enim apud eum (2): *Præter Civitatis leges, ne juſta, honeſta, bona. Poeta quiſpiam proponere audeto: nec vero ea, quæ ſcripſerit, cuipiam privato oſtendere liceto, antequam conſtituti hac de re Judices, & legum latores ea viderint, approbarintque*: & paulo poſt: *inſaniremus enim & nos omnino, & omnis Civitas, ſi, antequam Magiſtratus re explorata judicaverit, illa ne, quæ compoſuiſtis, admittenda ſint, nec ne, illa fieri permittamus. Nunc igitur o mollium Muſarum fœtus, & alumni, ubi veſtras cantilenas apud Magiſtratus depoſueritis, eaſque cum noſtris illi comparaverint;*

(1) *Voſ. Inſt. Poet. lib.* II. c. 27.

(2) *Plat. de Leg. lib.* VIII. p. 801.

*rint, ſi veſtræ noſtris meliores fuerint judicatæ, tum demum vobis Chorum dabimus; ſin minus, mihi credite amici haud quaquam dare poterimus.* Suſpicabar equidem hujuſmodi legem ab Euthymene Archonte anno 4 Olymp. 85. latam, quum is Comœdias, quas anno 1. ejuſdem Olympiadis Morichides ſuſtulerat, agi iterum permiſit, quemadmodum refert Ariſtophanis Scholiaſtes (1): οὗτος ὁ Ἄρχων ἐφ᾽ οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου, καὶ ἴσχυσεν ἐκεῖνόν. τε τὸν ἐνιαυτὸν, καὶ δύο τοὺς ἑξῆς ἐπιγήνυτε (corrige Γλαυκίδου) καὶ Θεοδώρου, μεθ᾽ οὓς ἐπ᾽ Εὐθυμένους κατελύθη: *hic ille Archon, ſub quo ſublatum eſt decretum, ne haberentur Comœdiæ, quod factum eſt Morychide Archonte, & valuit illo anno, & duobus ſequentibus, Glaucida, & Theodoro Archontibus*, poſt quos ab Euthimene abrogatum eſt. At Scholiaſtem *Didaſcalia* hæc noſtra aperte refellit, nam & Morychide, & Theodoro, qui Euthymenem proxime anteceſſit, Comœdias actas oſtendit (2). Ac primum quidem componere facile poteris, ſi dicas, quæ Morychide Archonte acta eſt Fabula, anni initio actam fuiſſe, cujus fortaſſe impudentia, licentiaque offenſus Morychides, Comœdias agi deinde vetuerit: aſt reliqua nullo pacto con-

(1) *Schol. ad* Αχαρ *v.65.* (2) *Lin.4. & 13.*

conciliabis : alterutrum ſtatuas neceſſe eſt ; aut noſtræ *Didaſcaliæ* Autorem erraſſe, aut erraſſe Scholiaſten , &, qui Scholiaſten exſcripſit, Suidas: neque enim Theodorum alterum exhibent Atticorum faſti, quo Archonte Σατύρους (1) actos fingamus . Si me audis , Scholiaſti dicam ſcribes , qui quum Comœdiam nullam hiſce annis actam inveniret , ſciret vero actam Euthymene Archonte, ab eo primum Morychidis decretum ſublatum cenſuit , quod vel Glaucidas , vel Theodorus ſuſtulerat : ita ſane cenſeo , ſi Morychides reipſa Comœdias ſuſtulit . At non idcirco aut Glaucidam , aut Theodorum legem illam , quam Voſſius commemorat, tuliſſe exiſtimo : video enim longe poſt Theodorum , atque Euthymenem Archontes leges duas latas , quibus locus ſane nullus fuiſſet , ſi Voſſiana illa lex rogata jam fuerat . Harum altera Magiſtratui in Comœdiis convicium palam facere vetat , παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις , inquit Ariſtophanis Scholiaſtes (2), ὁ νόμος φανερῶς ἐκώλυε τὸν Ἄρχοντα κωμῳδεῖν : *apud Athenienſes lex vetabat palam Archontem in Comœdia traducere* ; altera neminem expreſſo nomine lædi volebat : μὴ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος . Illam anno 1. Olympiadis 89. hanc vero intra Olympiadem 97.

ro-

(1) *Lin.* 4.  (2) *Schol. ad Neφ. v.* 31.

rogatas putat Petitus (1), cujus ego rationes, quando nihil aperte obſtare video, non invitus amplectar. Utrum vero poſteriori hac lege, quam *Avium* Scholiaſtes a Siracuſio neſcio quo latam ait (2): *Acharnenſium* vero (3) ab Antimacho Poeta Comici æquali: ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος: *Videbatur autem hic Antimachus decretum tuliſſe, ne quis ex nomine quempiam in Comœdia læderet*: utrum, inquam, hac lege eorum etiam compreſſa ſit audacia, qui ut fraudem facerent, nomina omittebant, ſervabant autem *perſonas*, larvas ſcilicet, quibus ſinguli, quos traducebant, exprimebantur, quod αὐτοπροσώπως κωμῳδεῖν dictum eſt, non diſputo; cenſet Petitus (4); *itaque*, inquit, *cum hac lege* ἐξ ὀνόματος κωμῳδεῖν *ſublata quoque eſt*, & *hæc* τοῦ αὐτοπροσώπως: Utrumque ſane complectitur hæc apud Platonem (5) lex: *Poetæ comico, vel jambicæ, muſicæve melodiæ autori, nec verbo, nec imagine, ſive perſona cujuſquam famæ detrahere fas eſto, ſive id per iram, ſive ſine ira faciat: eum, qui aliter fecerit, Athlothetæ eodem ipſo die e theatro exterminanto: aut tribus minis multanto, quæ illi Deo, cui certamen ſacrum eſt, dedicentur.* At

(1) Pet. l.c. p.80.
(2) Sch. ad Ὀρν. v.1297.
(3) Sch. ad Ἀχαρ. v.1149.
(4) Pet. l.c. p.81.
(5) Plat. de Leg. lib. 1x. p.935.

XIII. At illa prima, ni fallor, horum certaminum lex fuit ; ut delecti adeſſent Judices, qui de Poetis certantibus ſententiam proferrent, & quæ præmio digna foret Fabula, pronunciarent. Quinque, ut fertur, fuerunt Comicorum Judices, atque hinc vetus illud proverbium *ἐν πέντε κρειτῶν γόνασι*, quod ex illo Homeri (1)

*Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*

deſumptum autor eſt Epicharmus apud Suidam (2) : adde Ariſtophanis Scholiaſten *ad Aves* (3) *ἔκρινον οἱ κριταὶ τοὺς Κωμικοὺς : οἱ δὲ λαμβάνοντες τὰς ἐ ψῆφους εὐδαιμόνουν*. Suſpicari tamen libet, auctum quandoque Judicum numerum, lego enim apud Lucianum (4), *καὶ γὰρ οὖν καὶ ἐν τοῖς ἀγῶσιν οἱ μὲν πολλοὶ θέαται εἰσι* ( al. *ἴσασι* ) *κροτῆσαι πότε καὶ σύριται : κρίνουσι δὲ ἑπτὰ, ἢ πέντε, ἢ ὅσοι δὴ*, *quippe & in ipſis certaminibus quoque multi ſunt ſpectatores, qui aliquando applaudunt, & ſibilant : at ſeptem, aut quinque, aut quotlibet qui judicant*. Totidem fuiſſe qui Tragicis agonibus judicaturi conſiderent facile credo, in quo ſane a viris doctis Petito, Fabro, aliiſque diſſentire me ſentio, qui decem fuiſſe Tragicorum Judices volunt : *Tragicorum Judices decem erant*, in-

(1) *Hom. Iliad. 17. v. 514.*
(2) *Suid. V. ἐν πέντε.*
(3) *Sch. ad Ὄρν. v. 445.*
(4) *Lucian. in Har.*

inquit Petitus (1); *jurati hi quoque ſorte ab Archonte capti, e ſingulis tribubus unus, ut ex Plutarchi narratione in Cimone conſtat*. At ſi *decemvirale* hoc Judicum collegium illi uni Plutarchi teſtimonio innititur, vereor, ut ſatis certo fundamento conſiſtat; neque enim id, me judice, Plutarchus aſſerit, quod iſti contendunt: Ἔθεντο, inquit Plutarchus (2), δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γεγομένην. Πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέος, ἔτι νέου καθέντος, Ἀφεψιὼν ὁ Ἄρχων φιλονεικίας οὔσης, καὶ παρατάξεως τῶν θεάτων κριτὰς μέν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος. ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν Συστρατήγων προελθὼν εἰς τὸ θέατρον, ἐποιήσατο τῷ Θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδὰς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι, καὶ κρῖναι, δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον. Antequam hæc Latine reddam, illam mihi injectam ſuſpicionem ingenue fatebor, annon mendoſa ſint apud Plutarchum illa ἔθεντο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ: mallem enim ἔθεντο δ' εἰς γνώμην, aut aliud quidpiam hujus ſimile. Nam ſi quis totam Plutarchi narrationem, & Cimonis factum perpendat, utrumque poſtulare potius videtur, ut *ad* Cimonis *arbitrium*, *poteſtatemque* Tragicum illud judicium collatum fuerit, quam *ad*, vel

(1) *Pet. l. c. p.82.* (2) *Plut. V. Cim. p.482.*

vel *in illius memoriam* , ſeu *mentionem* . Sic in Smyrnæorum decretis ἔδοξεν τῷ δήμῳ Στρατηγῶν γνώμῃ : nihil tamen ſollicitabo ; videant doctiores . Illud ſolum moneo , minus recte Corſinium (1) illa ἔθεντο εἰς μνήμην αὐτοῦ ad Theſeum retuliſſe , perinde ac ſi in Theſei memoriam Tragicorum certamen inſtitutum fuerit: *Aſſerit Plutarchus* (hæc ille) *a Cimone Theſei oſſa in Scyro reperta , atque Athenas magnifice delata fuiſſe, Theſeique honori Tragædorum certamen inſtitutum fuiſſe* . At poſtremum hoc ex Plutarcho ſane non efficies: non enim ait Plutarchus ἔθεντο εἰς μνήμην αὐτοῦ καὶ τὸν τῶν τραγῳδῶν ἀγῶνα , ut dicere debuiſſet, ſi vera eſſet Corſinii interpretatio , ſed ἔθεντο τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν &c. *conſtituerunt in memoriam ipſius Tragædorum judicium &c.* Theſei porro *oſſa* de Tragœdis judicare neutiquam poterant : *Manes* vero aliis gravioribus curis diſtinebantur . Sed Plutarchum Latine loquentem audiamus . *Conſtituerunt igitur in memoriam ipſius & Tragædorum judicium , quod celebre factum eſt . Quum enim Sophocles adhuc juvenis primam fabulam doceret , Aphepſion Archon Judices certaminis ſorte non delegerat : quod ſpectatores inter ſe diſſiderent , atque contenderent . Ubi vero Cimon cum Strategis colle-*

(1) *Corſ. Faſ. Att. Tom. II. p. 48.*

*legis ſuis theatrum ingreſſus, conſuetâ de more libamina Deo obtulit, non permiſit illos* (Strategos) *abire, ſed juratos coegit conſidere, & judicare, qui decem erant ex unaquaque tribu delecti*. Aut ego baſilice fallor, aut nihil habet Plutarchus, ex quo exculpì certo poſſit, decem fuiſſe Tragicorum certaminum Judices. Id unum Plutarchus narrat, quum Archon, quis fuerit non diſputo, ſi Diodorum ſequaris, *Demotion*, aut *Phædon* erit, *Apſephionem* vocat Chronicon Oxonienſe (1), *Aphepſionem* hic Plutarchus, Ἀνεψιὸν legit Petitus (2), & *conſobrinum* interpretatur; quicumque is fuerit, quum Archon, inquam, Tragici certaminis Judices non legiſſet, Cimonem, delata ſibi extraordinaria poteſtate, judicium hoc collegis ſuis mandaſſe, qui decem erant electi ex ſingulis Athenarum Tribubus. Ubi enim ſuprema auctoritas delapſa ad Populum eſt, atque omnes Tribus æquam obtinuerunt poteſtatem, unaquæque Tribus *Strategum* e ſuo collegio creabat, qui bellicam rem adminiſtraret. Hinc *Strategi* decem pro Tribuum numero, quibus undecimus, *Polemarchi* nomen præſeferens, additus eſt. Hæc ex Hyperide, atque Ariſtotele docet Harpocration in Lexico. Factum hoc

D pri-

(1) *Chr. epoc. 57.* (2) *Pet. Miſcel. Obſer. lib. III. c. 18.*

primum Cimone imperatore exiſtimat Potterus (1): at niſi velit tum primum e ſingulis Tribubus ſingulos Strategos creatos, quod hic inquirere non vacat, errat doctus Archeologus; *Strategos* enim decem Marathonia in pugna anno III. Olymp. 72. apud Herodotum (2) invenio; invenio apud Cornelium Nepotem (3), qui Miltiadem Cimonis hujus patrem è decem hiſce Strategis unum fuiſſe commemorat: *domi autem creati decem Prætores, qui exercitui præeſſent, in eis Miltiades*; & paulo poſt, *huic Miltiadi, qui Athenas, totamque Græciam liberavit, talis honos tribubus eſt in porticu, quæ Poecile vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur*.

XIV. At illi turpius, ut ego exiſtimo, errant, qui a Cimone Tragœdorum judicium primum inſtitutum volunt anno III. Olymp. 77. quo duplicem, inſignemque de Perſis victoriam, navalem alteram ad Cypri littora, altram terreſtrem ad Eurymedontem reportavit. *Cimon victor*, inquit Sigonius (4) *judicium, certamenque Tragœdorum inſtituit*. At nihil minus, neque id Plutarchus ait, quo autore gloriantur. Tragi-

(1) *Pott. Arch. Gr. lib. III. c. 5.*

(2) *Herod. VI. §. 109.*

(3) *Cornel. Nep. V. Milt. n. 3.*

(4) *Sigon. de Ath. Temp. Olymp. 77. a. IV.*

gicorum certamen multo ante Cimonem inſtitutum, quæ de Theſpide, de Pratina, Æſchylo, & Choerilo ſecum certantibus ſuperius dixi, ſatis aperte oſtendunt: ſed, ut hæe ipſa deeſſent, Plutarchi narratio Sigonii, aliorumque errorem manifeſto refellit. Tragicorum, ac Comicorum Judices ab Archonte ſorte delectos (nullus enim dubito, quin eodem pacto delecti ſint, qui de Comicis judicarent, quo Tragicos delectos teſtatur Plutarchus) *juratos* ad judicandum acceſſiſſe, & Diis, antequam judicium proferrent ſuum, libaſſe invenio. Poſtremum hoc ex iis auguror, quæ apud Ariſtophanem ait Bacchus

Ι'θι νῦν λιβανωτοὺ δεῦρό τις, κ̀ πῦρ δότω,
Ο'πως ἂν ἔυξωμαι πρὸ τ̃ σοφισμάτων,
Α'γῶνα κρῖναι, τόνδε μȣσικώτατα
*Age nunc thus proferat, & ignem det quiſpiam,*
*Ego pro ſagaci judicio faciam preces,*
*Ut apte diſcernam certamen muſicum &c.* (1)

Æſchyli ſcilicet & Euripidis, quos apud inferos, Baccho judice, certare Comicus fingit. Primum vero cum plurimis antiquorum teſtimoniis, tum ejuſdem Ariſtophanis auctoritate firmatur, qui ſic Judices ſuos in

D 2 Con-

(1) *Ariſtoph.* Βάτρ *v.* 895.

*Concionantibus* alloquitur ; Græca omittam, & Latinam tantum interpretationem proferam .

*Nunc Judices aliquid monere volo ;*
*Primo , ut qui inter illos ſapientes ſunt ,*
*De me judicent eorum memores , quæ in*
*Hac Fabula recte ac ſapienter dicta a me fuerunt .*
*Secundo , ut qui libenter rident , ii de me*
*Judicent , memores quam feſtive , & ridicule multa protulerim .*
*Itaque , ni fallor , fere omnes de me ferre ſententiam jubeo .*
*Neque ſortitionem fieri : cur enim mihi obſit ,*
*Quod hic Chorus ante cæteros vocatus eſt ?*
*Quare hæc omnia meminiſſe decet ,*
*Neque fidem jusjurandi violaſſe ,*
*Sed de Choris ex merito judicare :*
*Neque eoſdem mores colere , quos volunt*
*Diobolares meretriculæ ,*
*Quæ ſemper poſtrema meminerunt ,*
*Priorum oblitæ , ſi quid eis benefeceris .*

Placuit porro hæc afferre , ex quibus & jusjurandi religione certaminum Judices obſtrictos fuiſſe firmatur , & agendi docendique ordinem ſortito præſcriptum intelligimus , ne Poetarum querelis ullus foret locus . Deterior porro , uti apparet , illius ha-

habita conditio eſt, qui priori loco agebat. Verebantur ſcilicet Poetæ, ne qui ultimo acturi erant, palmam eriperent, vel ex eo ipſo dumtaxat, quod recens illorum memoria, & voluptas in ſpectatorum animis foret, ut recte monet Tanaquillus Faber. At quod idem (2) ex his inferat, poſtremum Fabulæ Chorum *non ſemper cum Fabula ipſa continuatum*, qui colligere id poſſit, non video: ſed non hæc inquiro. Juratos hoſce Judices plus vice ſimplici pejeraſſe, non eſt cur te doceam, qui noſtris meliora veterum fuiſſe tempora perſuaderi tibi non facile ſinis. Numquam defuere, qui aut odio, aut amore, aut lucri cauſa ad judicandum ducerentur. Hinc factum, ut Sophocli Philocles, Euripidi Xenocles, Menandro Philemon, doctis omnibus indignantibus, prælati fuerint. Neque tamen id eos impune facere licuit; ad alios quippe Judices provocare poterant, quorum intererat. Hi porro Judices, eos, qui perperam judicaverant, multabant, atque punibant, ut ex iis, quæ habet Æſchines contra Cteſiphontem (1), recte collegit Petitus: Καὶ τοὺς Κριτὰς τῶν Διονυσίων ἐὰν μὴ δικαίως τοὺς ἐγκυκλίους χοροὺς κρίνωσι, ζημιοῦσθαι. *Et Judices quidem*

 *Dio-*

(2) *Fab. epiſt.*

(1) *Æſch. apud Demoſt. p. 307.*

*Dionyſiorum , ſi non recte de choris encyclicis judicaverint , multatis .*

XV. Age vero videamus , quot Fabulis Poetæ certarent , & quibuſnam præmiis victores donarentur . Cum primum certamina hæc inducta ſunt , Tragicos Comicoſque ſingulis in ſcenam Fabulis prodiiſſe ſatis veriſimile eſt . At non multo poſt in more illud poſitum , ut Tragici *Tetralogias* exhiberent , quaternis nempe Fabulis contra quaternas Fabulas certarent , quarum ultima *Satyrica* erat, ac , veluti pictorum πάρεργα , ſeriis intermixta : non enim inter ſeria ſatyricæ Fabulæ cenſebantur . *Satyrica* , inquit Diomedes (1) , *eſt apud Græcos Fabula , in qua item Tragici Poetæ non Reges , aut Heroes , ſed Satyros induxerunt ludendi cauſa, jocandique,ut ſimul ſpectator inter res tragicas , ſeriaſque Satyrorum quoque jocis , ac luſibus delectaretur , & ut Horatius ſentit his verbis* ,

*Carmine qui tragico vilem certavit ob Hircum ,*
*Mox etiam agreſtes ſatyros nudavit , & aſper*
*Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod*
*Illecebris erat, & grata novitate morandus*
*Spectator .* Pra-

(1) *Diom. lib.* III. *p.*488.

Pratinas, ſi vera refert Suidas (1), hoc Fabularum genus primus induxit; Theſpidi tribuere videtur Horatius: harum nullam eſſe reliquam, præter Euripidis *Cyclopem*, tradunt viri docti. Qui porro *Tetralogiis* hiſce certabant, hi πλείοσι δράμασιν ἀγωνίζεσθαι a Græcis dicebantur. Anno IV. Olymp. 76. *Phineum*, *Perſas*, *Glaucum Potnienſem*, & *Prometheum* exhibuit Æſchylus, & victoriam adeptus eſt. Anno vero I. Olymp. 91. Euripides *Alexandro*, *Palamede*, *Troibus*, & *Siſypho ſatyrico* contra Xenoclem certavit, qui *Oedipum*, *Lycaonem*, *Bacchas*, & *Athamantem ſatyricum* docuit, & vicit, non Olympiacis in ludis, ut innuere videtur falſa inſcriptio capitis VIII. lib. II. *Variarum* Æliani, ſed Athenis, ubi certamen habebatur, quod *caput* ipſum non obſcure clamat, & Kuhnius animadvertit (2). Miror ſane, quod non hoc Dodwellus viderit, & *Xenoclem* hunc Æliani auctoritate inter Olympionicas retulerit (3). At magis etiam miror eadem chorda oberraſſe Corſinium, qui *Olympionicarum* ſeriem a Dodwello collectam uberiorem, atque, ut ipſe ait, *emendatiorem* iterum dedit. Atqui non difficile id erat animadvertere:

 ſa-

(1) *Suid. V.* Πρατίνας.

(2) *Kuh. Præf. in Æl. Var.*

(3) *Dodw. de Cycl. pag.* 752. 775.

ſatis quippe vulgatum notumque doctis viris Olympico in pulvere Tragicorum agonibus locum fuiſſe nullum. Primus Nero, cui omnia ſuſque deque turbare volupe fuit, eos in Olympia induxit, idemque in iis certavit, & vicit, quod maxime optabat, ut Philoſtratus ſemel atque iterum narrat (1); cujus verba ex poſteriori loco, a Caſaubono, & Spanhemio multo ante obſervata, hic iterum recitanda. Τραγῳδίαν δ' ἀπαγγεῖλαι, καὶ κιθαρῳδίαν, οἷς μήτε θέατρόν ἐστι, μήτε σκηνὴ πρὸς τὰ τοιαῦτα: στάδιον δὲ αὐτοφυὲς, καὶ γυμνὰ πάντα: *Tragœdorum præterea, & Citharædorum certamina propoſuit apud eos, quibus nec Theatrum eſt, nec Scena, ubi hi agones edantur, ſed nativum ſtadium, & nuda omnia*. Hæc ſane oſtendunt, numquam ante Neronem Olympico in ludo acta Tragœdorum certamina. Sed neque in Pythiis, in quibus Tragicos agones actos novimus, *patrii*, ut ita dicam, & *nativi* fuerunt, verum προσθήκη, ut recte Spanhemius (2), & ἐπίθετοι, quod Plutarchus confirmat, qui ſerius Pythicis in ludis Tragœdum admiſſum narrat: at hæc ἐν παρόδῳ; ad *Tetralogias* revertor.

XVI. Harum *Tetralogiarum* Tragœdias affinis argumenti omnes fuiſſe ſunt qui velint,

(1) *Phil. V. Apoll. IV. 23. V. 7.* (2) *Spanh. epiſt. I. ad Morell.*

ſint, eaque de cauſa ab argumento toti *Tetralogiæ* nomen datum fuiſſe ajunt. Philoclis *Pandionidem*, & Æſchyli *Oreſtiam* memorat Ariſtophanis Scholiaſtes (1); quarum hæc *Agamemnonem*, *Cœphoros*, *Eumenides*, & *Proteum Satyricum* complectebatur, vicitque non anno II. Olympiadis XXVIII. ut habet Scholiaſtes, librarii errore (longe enim poſt Æſchylus natus) ſed aut LXX. ut Fabricius vult, aut LXXX. ut alii malunt. Quin cognatas *hypotheſes* habuerint, quas ſupra nominavi, Euripidis, & Xenoclis Tragœdias, nullus dubito. Negat Spanhemius (2) *Proteum Satyricum* Oreſtiadis aliquid cum Oreſte commune habuiſſe, & alterius argumenti fuiſſe contendit. Quidquid ſit de hac, aliiſque, quas vir doctus citat, *Tetralogiis*, non id ſemper factum, recte a Stanleio obſervatum puto (3). Utrum vero *Phineus*, *Perſæ*, *Glaucus Potnienſis*, & *Prometheus* affine argumentum haberint, nec ne, alii quærent: negare videtur Stanleius, ego nihil pronuncio. Impoſitam Tragœdis legem ſervavit Sophocles cum doceret primum cœpit anno, ut diximus III. Olymp. 77. verum improbo hoc labore perterritus, unicam deinceps

Fa-

(1) *Sch.* Ὀρν. *v.* 882. Βάτ. *v.* 1155.

(2) *Span. not. ad Ran. v.* 1155.

(3) *Stanl. V. Æſchyli.*

Fabulam exhibuit, ſi vera refert Suidas: negat enim Bentlejus (1), hoc omni ex parte verum eſſe; jure ne, an injuria nolo hic inquirere. Verum ſane cenſuit Fabricius, qui alios ſubinde Poetas Sophoclis exemplum imitatos fuiſſe ait. Illud fortaſſe verius tribus tantum Tragœdiis non ſemel Tragicos certaſſe: ſæpe enim *Trilogias* a veteribus nominatas invenimus. Niſi, ſi quis *Satyricam* Fabulam ab iis, qui *Didaſcalias* nobis reliquerunt, omiſſam velit, quod a nonnullis factum notavit Scholiaſtes Ariſtophanis (2). Τετραλογίαν φέρυσιν τὴν Ὀρεςίαν αἱ Διδασκαλίαι Ἀγαμέμνονα, Χοηφόρυς, Εὐμενίδας, Προτέα σατυρικὸν: Ἀρίσαρχος δὲ ϗ Ἀπολλώνιος τριλογίαν λέγυσι, χωρὶς τῶν σατυρικῶν. *Tetralogiam Oreſtiam fuiſſe docent Didaſcaliæ Agamemnonem, Chœphoros, Eumenides, Proteum Satyricum: Ariſtarchus autem, & Appollonius dicunt Trilogiam, omiſſa Satyrico.*

XVII. Venio nunc ad Victorum præmia. Ridebis ne, an miraberis tanto cum ſtrepitu pro *ficuum caniſtro*, *vini utre*, *Tripode*, *atque hirco* certatum fuiſſe? Atqui hæc antiquitus propoſita Victoribus præmia. *Hircum*, ut ab hoc ultimo exordiar, Tragicorum fuiſſe præmium vulgata res

(1) *Bentl. ep. ad Mill. p. 12.* (2) *Sch. ad Βάτ. v. 1155.*

res eſt ; nemini non nota illa Venuſini Vatis,

*Carmine qui tragico vilem certavit ob Hircum :*

memorat etiam Diomedes (1) : *Hircus præmium cantus Tragicis proponebatur* : eo Theſpis donatus, ut ante diximus. *Ficuum caniſtrum*, & *vini dolium*, quod quadriga exportarent, datum Athenis *Suſarioni*, & *Doloni* vetuſtiſſimis Comicis, qui primi tabulata in ſcena Comœdiam ibidem docuerant, divinantur Critici, qui haſce XL. Græcarum *epocharum* reliquias interpretari conati ſunt.

ΑΦΟΥΕΝΑΘ . . . . ΑΙΣΚΩΜΩ . : . . Ρ . . . :
ΕΘΗ . . . . ΣΑΝΙ . . . . ΤΩΝΙΚΑΡΙΕΩΝ
ΕΥΡΟΝΤ
ΣΟΥΣΑΡΙΩΝΟΣ, ΚΑΙΔΟΛΟΝ . . . . .
ΤΕΘ . . . . ΠΠΩ ΤΟΝ ΙΣΧΑΔ . . . , ΑΡΣΙ-
ΧΟ . . . . ΝΟΙΝΟΥ : . . . ΕΡ . . . . , ΟΣ &c.

Sic enim legendum cenſent. Ἀφ᾽ οὗ ἐν Ἀθήναις κωμῳδία πρῶτον ἐτέθη ἐν σάνισι τῶν ἰκαριέων εὗροντ . . . Σουσαρίωνος, καὶ Δόλονος οἱ τεθρίππῳ τὸν ἰσχάδων ἄρσιχον, καὶ πίθον οἴνου ἀνέφερον &c. Non id temere : nam *Ficum* Baccho ſacram, ex qua συκίτης cognominatus eſt, victoris præmium fuiſſe, ex Dioſcoride, cujus verba attulimus (2), manifeſto pa-

(1) *Diom. l. c.*  (2) §. III.

patet. Ficus in Attica raras fuiſſe, atque idcirco exinde efferri lege vetitum, jam alii obſervarunt, Plutarchi, Suidæ, atque Etymologi teſtimonio. *Vini* meminerunt Diomedes, & Comici Scholiaſtes: *Liberalibus apud Atticos die feſto Liberi Patris vinum cantoribus pro corollario dabatur, cujus rei teſtis eſt Lucilius in* XII. inquit Diomedes (1): alter vero (2): Τρυγῳδίαν εἶπεν ἀντὶ τῦ κωμῳδίαν, διὰ τὸ τοῖς νικῶσι κωμικοῖς τρύγα δίδοσθαι, τυτέςι νεὸν οἶνον. *Trygodiam dixit pro Comœdia, quod victoribus Comicis muſtum dabatur, hoc eſt vinum novum.* Datum etiam *Tripodem*, ſeu poculum horum certaminum victoribus apud Athenæum legiſſe memini (3). Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσου τρίπους, καὶ γαρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τὺς ἀληθεύοντας. δεῖ δὲ νοεῖν τρίποδα τῦ Διονύσου τὸν κρατῆρα. ἦν γὰρ τὸ ἀρχαῖον δύο γένη τριπόδων, οὓς καλεῖσθαι λεβῆτας, συνέβαινεν ἀμφοτέρους ἐμπυριβήτης, ὁ καὶ λοετρόχοος . . . . ὁ δ' ἕτερος ὁ κρατὴρ καλέμενος . . . . . ἐν τούτοις δὲ τὸν οἶνον ἐκρίνων. *Victoris præmium in Bacchi certaminibus Tripus eſt; qui enim vera loquuntur, eos ex Tripode loqui dicimus. Tripus autem Bacchi, idem eſt ac Crater. Nam duo genera tripodum, qui lebetes vocati ſunt, olim di-*

(1) *Diom. l.c.*
(2) *Schol.* Ἀχαρ. *v.* 399.
(3) *Athen.* II. 2.

*diſtinguebantur : unum ad ignis uſum , & lavacrum comparatum . . . . aliud Crater appellatum . . . in his autem vinum miſcebant .* *Olei Hydriam* iis , qui in *Panathenaicis* vicerant , datam invenio : Ὁ δ' Ἀριστοτέλης καὶ τοῖς νικήσασι τὰ Παναθηναϊκὰ ἐλαίου τοῦ ἐκ μορίων γενομένου δίδοσθαι φησί . *Ariſtoteles ſcribit , etiam Victoribus Panathenaicis dari oleum ex moriis factum .* Μόριαι , ut non ignoras, oleæ Minervæ ſacræ , quæ circa Academiam erant , propriumve hoc Athletarum præmium , ut Scholiaſtes Pindari innuere videtur : τοῖς Ἀθληταῖς τοῖς τὰ Παναθηναϊκὰ νενικηκόσι δίδοται ὑδρία ἐλαίου πλήρης (1) : an commune iis omnibus præmium foret , qui hiſce in ludis viciſſent , ignoro . Præterea *Coronis*, qui in Scena placuiſſent , donatos, apud Varronem reperio (2) . *Scenicas* Coronas Plinius , Svetonius , Syneſius , aliique memorant . Factum id etiam Athenis perſuadet Plutarchi locus de Philemone , & Alexi (3) . Φιλήμονα τὸν κωμικὸν καὶ Ἄλεξιν ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἀγωνιζομένους , καὶ στεφανουμένους ὁ θάνατος κατέλαβεν . *Philemonem comicum , & Alexim certantes in ſcena, & coronatos mors comprehendit* . Corona hæc ex oleæ ramo fuit , ſi huc referenda Scholiaſtis Ariſtophanis

(1) *Sch. Pind. Nem. x.*
(2) *Var. L.L. lib. IV.*
(3) *Plut. An Sen. ger. Reſp. p. 785.*

nis verba, quæ, loco non adnotato, recitat Bulengerus (1). Ἐστεφανώθη θαλλῷ τῆς ἐλαίας ἱερᾶς, ὃς νενόμισται ἰσότιμος χρυσῷ στεφάνῳ. *Coronatus eſt ramo ſacræ oleæ, qui corona aurea æque pretioſus æſtimatur.* Quandoque etiam ex auro fuiſſe videtur; lego enim apud Tertullianum (2) *etſi præ gloria, ut Clidemus Athenienſis, dum ab Hiſtrionibus ob præſtantiam auro coronatur*. Sed hæc accuratius proſequi non eſt neceſſe. At quamvis propoſitum Victoribus præmium vulgare eſſet, ac tenue, *tenuis non gloria* victoriæ. *Hæc victoriæ ſigna, verum, quæ conſequitur gloria, eſt quantivis pretii*, ajebat Solon Scythæ illi Anacharſi *oleaginas, apiacas*, aliaſque ludorum coronas irridenti apud Lucianum (3). Quanti apud Græcos fieret ſcenicis in ludis viciſſe (ut omittam, quod de Jone Chio narrat Athenæus, eum, quum Athenis Tragœdia ſimul & Dithyrambo viciſſet, Chii vini cadum cuique civium dediſſe) ex eo intelligi facile poteſt, quod earum diligenter Græcorum Hiſtorici meminerint, & quoties quis Victor, & quibus in ludis viciſſet poſterorum memoriæ commendaverint. Sic, ut aliquos hic referam, *undecies* viciſſe *Magnetem* narrat Ano-

(1) *Buleng. de Theat. lib. 1. c. 50.*

(2) *Tertul. de Anim. c. 52.*

(3) *Luc. Gymn. n. 9. 10.*

Anonymus περὶ κωμῳδίας, Eudoxum Siculum Poetam comicum, *tres aſtycas* victorias, & *Lenaicas quinque* retuliſſe ſcribit Laertius (1): Aphareum *bis in Dionyſiacis*, totidemque *in Lenæis* viciſſe autor eſt Suidas, idemque Æſchylum *terdecies* victorem fuiſſe refert, *vicies* Sophoclem, *quindecies* Aſtydamantem, *terdecies* Choerilum, totidem Antiphanem, *decies* Anaxandridem, & Eupolim; &, ut alios plurimos prætereaṃ, *novies* Cratinum. Neque vero dubito, quin; ut Fabricio etiam placuit (2), ad victorias haſce pertinuerit Ariſtotelis liber Νίκαι Διονυσιακαὶ inſcriptus, ut Laertius refert. Vir magnus, non *Olympionicarum* dumtaxat & *Pythionicarum* ſeriem conſtruxerat, ſed *ſcenicas* etiam victorias collegerat: hujus libri ſpeciem, ac veluti adumbrationem *Didaſcaliam* hanc noſtram referre, ſi quis autumet, non ego hominem ſomniare dicam. At illud illuſtre etiam magis, quod non ſecus ac *Cyrrhenſi*, *Marathonia*, *Salaminia*, *Platæenſi*, aliiſque inſignioribus victoriis, ita & Tragœdorum, & Comœdorum victoriis tempora notabantur, cujus rei præclarum teſtimonium exhibent Græcorum epochæ, quas ſæpe commemoravi:

Ἀφ'

(1) *Laert. lib.* VIII. §. 90. (2) *Fab. B. Gr. lib.* III. *c.* 7.

Ἀφ' οὗ Αἴσχυλος ὁ ποιητὴς τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλοκράτους .... ita epocha LI. ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς Σοφίλλου ἐκ Κοδώνου ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ...... Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀψηφίωνος : ita LVII. ἀφ' οὗ Εὐριπίδης ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔIII τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε ... Ἄρχοντος ... Διφίλου ... Ita LXI. Anaxandrides Comicus viciſſe primum dicitur epocha LXXI. ſequenti vero Aſtydamas.

XVIII.. Sed, ut ad Poetarum præmia revertar, non tenue, nec vulgare præmium *Antigone* nactus eſt Sophocles, ſi, ut nonnulli perhibent, hujus Fabulæ admiratione, quam anno III. Olymp. 84. docuerat, *Strategus* ſequenti anno creatus eſt. At illud etiam præſtantius, quod propoſitum a Lycurgo fuiſſe diximus iis, qui *Antheſterii*, ſeu *Chytris* viciſſent: hos quippe Athenienſi civitate donari juſſit, quod quanti fuerit, non eſt cur hic te doceam. Num porro idem præmium & iis etiam impertitum fuerit, qui *Aſtycis*, *Lenæis*, *&* *Panathenaicis* viciſſent, ignorare me fateor. Sed neque illud ſatis ſcio, an, cum tres forent, qui victores renunciabantur, ſuum omnibus eſſet præmium, an illi dumtaxat, qui *primas* tulerat? Non indonatos abiiſſe, qui *ſecundo*, aut *tertio* loco fuerant, ex eo conjecturam fa-

facio, quod aliis in Ludis uſurpatum video, &, ne longe abeam, Lycurgi Oratoris lege, ut Plutarchus refert in ejus vita, Neptuno ludi celebrati in Piræo, in quibus ſuum erat cuique præmium: Τȣ̃ Ποσειδῶνος ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ κυκλίων χορῶν ȣ̓κ ἔλαττον τριῶν. διδόασθαι μὲν τοῖς νικῶσιν ȣ̓κ ἔλαττον δέκα μνᾶς, τοῖς δὲ δευτέροις ὀκτὼ, ἓξ δὲ τοῖς τρίτοις κριθεῖσι: *Neptuno ludi in Piræo celebrentur choris cyclicis ad minus tribus: decem minæ ad minimum victori præmium eſto: octo ei qui ſecundas, ſex vero illi qui tertias obtinuerit*. Sed ad illud tandem, cujus hæc cauſa diſputata a nobis ſunt, veniamus. Quatuor, ut initio dicebam, *Didaſcalia* hæc noſtra complectebatur 1. *Comicorum*, 2. *Archontum* eponymorum *nomina*, 3. *Fabularum*, quæ vicerant, *titulos*, 4. *Liberalium*, quibus Fabulæ actæ fuerant, *dies*. Hujus poſtremi nihil eſt reliquum in priori fragmento, niſi ſi quis illa ENA (1) interpretari velit EN Ἄστει, quod fieri poſſe non abnuo: prioris, quod ad Comœdos ſpectat, vix unius, aut alterius veſtigia præbet diffractum marmor; reliqua paulo ſunt uberiora. Optaſſem equidem interpretationem noſtram hæc in membra partiri; at



(1) v. 2.

quum de priori nihil ſit, quod dici probabiliter queat, de ultimo multa jam diſputata a nobis ſint, eam, quam lapides ipſi exhibent, partitionem ſequar, & ſingulis quibuſque lineis, quid mihi probabilius viſum ſit, ſubjiciam.

*Frag-*

*Fragmentum I.*

| | | |
|---|---|---|
| L. 1. . . . . . . . . . ΠΙ ΑΝΤΙΟΧΙΔΟΤΚΥ | Olymp. 84. a. 2. |
| 2. . . . . . . . . ΣΚΩΜΩΙΔΙΑΙ Δ ΕΝΑ | — |
| 3. . . . . Μ ΩΙΔΙΑΙ ΕΠΙ ΤΙΜΟΚΛΕ | 84. a. 4. |
| 4. . . . . ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΣΑΤΥΡΟΙΣ | 85. a. 3. |
| 5. . . . . . ΕΡΟΙΣ ΣΙΔΗΡΟΙΣ ΕΠΙ ΠΥ | |
| 6. . . . . . . ΟΙΣ Ε ΕΠΙ ΑΝΤΙΟΧΙΔΟΥ | 86. a. 2. |
| 7. . . . . . . . ΥΣΙΠΠΟΣ ΕΝΙΚΑΜΕΝ | |
| 8. . . . . . . . . ΠΟΥ ΚΑΤΑΧΗΝΑΙΣ | |
| 9. . . . . . . . ΛΙΣ ΑΥΤΑΙΜΟΝΑΙΣΩΙ | |
| 10. . . . . . . ΠΙΔΙΟΦΑΝΤΟΥ ΛΙΟΝΤ | 96. a. 2. |
| 11. . . . . . . ΤΕΙΕΠΙ ΝΙΚΟΤΕΛΕΟΥΣ | 97. a. 2. |
| 12. . . . . . . . . Ε ΕΠΙΛΥΣΙΜΑΧΟΥ | 86. a. 1. |
| 13. . . . . . . . Ι ΕΠΙ ΜΟΡΙΧΙΔΟΥ | 85. a. 1. |
| 14. . . . . . . ΥΣ ΚΟΛΕΟΦΟΡΟΙΣ | |

*Fragmentum II.*

| | |
|---|---|
| 1. . . . ΕΠΙ ΧΙΩΝΟΣ ΜΑΙ . . . . | 103. a. 4. |
| 2. . . . . ΛΙΟΝΥΣΟΥΓΟΝΑ . . . . | |
| 3. . . . . ΑΜΠΡΑΚΙΟ ΤΙΑΙΓΕΝ . . . | |
| 4. . . . ΤΡΑΤΟΥ ΕΡΕΧΘΕΙΕ . . . . | |
| 5. . . . ΛΕΙ ΕΠΙ ΧΑΡΙ ΣΑΝΔΡΟ . . . | 101. a. 1. |
| 6. . . . ΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ ΙΟΙ Ε . . . | —— a. 2. |
| 7. . . . ΟΔΥΣΣΕΙ ΕΠΙ ΚΗΦΙΣΟΔ . . . | 103. a. 3. |
| 8. . . . . ΕΠΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΑΓ . . . | 107. a. 3. |
| 9. . . ΞΙΠΠΟΥ ΛΗΝΑΙΑ ΕΠΙ . . . | |
| 10. . . . ΟΙΩΙ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΓΕΝΟΥ . . | 103. a. 1. |
| 11. . . . Ν ΑΣΤΕΙ ΕΠΙ ΧΙΩΝΟΣ . . . | —— a. 4. |
| 12. . . . ΕΙ ΕΠΙ ΑΓΑΘΟΚΛΕ . . . | 105. a. 4. |
| 13. . . . . ΠΙ ΘΟΥΔΗΜΟΥΑ . . . . | 106. a. 4. |
| 14. . . . . ΟΥ ΑΝΤΕΡΩΤΙΙ . . . . | |
| 15. . . . . . ΝΙΚΑ ΛΗΝΑΙΑ . . . . | |
| 16. . . . . . . ΙΕΝ ΑΣΤΕΙ . . . . | |
| 17. . . . . . . . . ΙΙΕΥ . . . . . | |
| 18. . . . . . . . ΑΡ . . . . . . . . | |

Lin. 1. & 6. ANTIOXIΔΟΥ.

XIX. *Antilochidem* Olympiadis 86. anno 11. Archontem memorat Diodorus (1); at regius Diodori codex, & Coisʃlinianus in nova Weſſelingii editione pro Ἀντιλοχίδου habent Ἀντιοχίδου; codicibus hiſce Marmor hoc noſtrum, utroque ſane multo antiquius, accedit, eorumque lectionem auctoritate ſua firmat, ut nullus jam Weſſelingio dubitandi locus ſit, num *Antiochidem* vulgato præferre oporteat.

Lin. 2. ΚΩΜΩΙΔΙΑΙ Δ ΕΝΑ.

Non temere *Comœdis* Lapidem hunc tribuiſſe me vox hæc Κωμωδία oſtendit. Legendum fortaſſe . . . Κωμωδία Δ ἐνίκα *Comœdia quater vicit*. Tribus hiſce elementis ENA vocem ENικA quadratarius compendio expreſſit. Sed nec diſpliceret, ſi quis literas haſce EN Α'ςει interpretaretur; ut ſenſus ſit, Poetam, cujus hic nomen excidit, *Comœdia urbicis Dionyſiacis* quater viciſſe. EN ΑΣΤΕΙ videbis ſemel, atque iterum in ſecundo fragmento (2).

Lin. 3. . . . ΜΩΙΔΙΑΙ ΕΠΙ ΤΙΜΟΚΛΕυς.

Quid vox Κωμωδία hoc loco ſibi velit, non aſſequor. An Πρῶτος κωμωδίᾳ ἐπὶ Τιμοκλέυς

(1) *Diod. lib. XII. n. 34.* (2) *V. 11. & 16.*

κλέης ἐνίκα; Poetam ſcilicet, qui quater vicerat hoc anno IV. Olympiadis 84. quo *Timocles* Archon fuit, primum viciſſe, omiſſo Fabulæ nomine? An Fabula ipſa, quæ vicit, Κωμωδία inſcripta erat? Non auſim affirmare, conjecturæ tamen locum præbet *Phrynici* Fabula, Τραγῳδοὶ inſcripta, cujus pluries meminit Athenæus (1). An tandem Αἰμωδία Fabula hæc inſcripta?

Lin.4. ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΣΑΤΥΡΟΙΣ.

Σάτυροι Comœdiæ nomen, quæ Theodoro Archonte anno III. Olympiadis 85. vicit; cujuſnam fuerit, lapide detrito, ignorare cogimur. *Satyros* qui docuerint ex Comicis quinque apud antiquos invenio, *Anaxandridem*, *Cratinum*, *Ecphantidem*, *Ophelionem*, & *Phrynichum*. Horum *Phrynichus* Olympiade tentum 86. Fabulas agere cœpit, ſi vera narrat Suidas (2): Phrynicho junior *Anaxandrides*, quem anno II. Olympiadis CI. floruiſſe putat Voſſius (3). *Cratinum* poſt Olympiadem 86. viciſſe ait Anonymus Περὶ κωμωδίας: Κρατῖνος μετὰ τὴν ΠΕ' Ὀλυμπιάδα νικᾷ. Qua tamen Fabula, & quo Olympiadis anno vicerit Anonymus non docet. Eumdem anno IV. Olymp.88.

 *Sa-*

(1) *Athen.* VI. 3. VII. 9. XIV. 20.

(2) *Suid. V.* Φρύνιχος.

(3) *Voſ. de Poet. Græc.*

*Satyris* ſecunda tuliſſe præmia lego apud Ariſtophanem Grammaticum, cujus verba ſupra (1) recitavi. Si Anonymum de incepta jam Olympiade, non vero abſoluta interpretari liceat, Cratinum hoc ipſo anno Theodoro Archonte *Satyris* viciſſe dicerem, atque anno 111. Olympiad. 88. iiſdem *Satyris ſecundum* fuiſſe; neque enim inſolens, ut eædem Fabulæ bis ſubinde a Comicis agerentur. Adde quod ii tantum viciſſe dicebantur, qui *primas* tulerant. Nihil tamen ſtatuo, præſertim cum, ſi uni Comico tribuendæ ſint lin.3. 4. & 5. Cratinus hic eſſe nequeat. *Ecphantidis* porro, atque *Ophelionis* ætas mihi, aliiſque incerta.

Lin.5. ΣΙΔΗΡΟΙΣ ΕΠΙ ΠΥ...

Delphos abibis, ea ſi te cura mordet, Phœbi oracula ſiſcitatum, quidnam Σίδηροι iſti, ex quibus Comœdia hujus anni nacta eſt nomen. Vereor enim, ne nos Anticyram navigare jubeas, ſi, qui non ἐν ὄλμῳ ἐκοιμήθημεν, definire id audeamus. At quidquid ſit, novam habes, atque hactenus ignotam Comœdiam. Quid illa vero ἐπὶ Πυ...? Legamne Πυθοδώρου, an Πυῤῥίωνος? Nam Πυθόκριτον anno 111. Olymp. LXXI. & Πυθέαν anno 1. Olymp. CI. eponymos hinc ni-

(1) §.11.

nimium diſtare arbitror. *Pyrrionem* anno I. Olymp. XCVIII. Archontem refert Diodorus (1). *Pythodoros* duos reperio, quos huc referre poſſis, alterum an. I. Olymp. 87. eponymum (2): alterum anno I. Olympiadis 94. Archontem fuiſſe memorant Xenophon & Lyſias (3); quamvis hic annus a Diodoro, aliiſque *Anarchiæ* nomine deſignetur, cujus rei cauſas dabit Corſinius (4).

Lin. 6. Ē.

Quid ſibi velit numeralis hæc nota Ē, incertus ſum; an, quod ſuperius de altera Δ̄ innuebam, Poetam quinquies viciſſe? an Fabulam, quæ hoc anno ſtetit, *quintum* jam actam? Primum mallem, ut enim diximus, quoties quis vicerat, accuratiſſime publicis in monumentis notabatur. Sed alterum ſi quis malit, non repugnabo, eamdem enim Fabulam ſæpius populo datam ſcio.

Lin. 7. . . . ΥΣΙΠΠΟΣ.

Comici hic nomen latet: Χρύσιππος legi poſſet, aut Λύσιππος. At *Chryſippum* Comicum nullum invenio. *Lyſippum* inter Tragicos recenſuit Delrio (5) qui, ſi Fabri-

 cio

(1) *Diod. lib. XIV. n. 107.*
(2) *Id. XII. n. 37.*
(3) *Xenoph. ἑλλ. II. 3. Lyſias. Or. de ſacr. oliva.*
(4) *Corſin. F. A. h. a.*
(5) *Delr. proleg. in Sen. p. 23.*

cio credimus, inter Comicos numerandus fuerat; ejus meminit Pollux (1): qua ætate vixerit nec Voſſio, nec aliis ſatis liquet. Arcadem fuiſſe ait Fabricius in tertia Græcæ ſuæ Bibliothecæ editione: at Fabricium errare coegit Urſinus, qui *Lyſippum* Græci lapidis

Ο.ΔΗΜΟΣ.ΕΧΟΡΗΓΕΙ.ΠΥΘΑΡΑΤΟΣ.ΗΡΧΕΝ.
ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ.ΘΡΑΣΥΚΛΗΣ.ΘΡΑΣΙΛΛΟΥ.Δ.ΕΚΕΛΕΥΣ
ΠΑΝΔΙΟΝΙΣ.ΑΝΔΡΩΝ.ΕΝΙΚΑ
ΝΙΚΟΚΗΣ.ΑΜΒΡΑΚΙΟΤΗΣ.ΗΥΛΕΙ
ΛΥΣΙΠΠΟΣ.ΑΡΚΑΣ.ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ

Tragicum Poetam arbitratus eſt; verum non Τραγῳδοποιὸς, ſed Χοροδιδάσκαλος fuit *Lyſippus*, cujus hic lapis meminit, qui ſcilicet muſicis in agonibus Chorum inſtituebat, ut recte a Wandalio (2) animadverſum eſt. *Didaſcalos* tamen hoſce, ſeu *Chorodidaſcalos* Poetas aliquando fuiſſe, & carmina, quæ a Choro vel ſaltabantur, vel cantabantur, componere potuiſſe, licet raro, non diffitetur Wandalius, firmatque non dubia Pauſaniæ auctoritate. Nihil igitur ad Tragicos pertinet *Lyſippus* ille, atque ab eo alius, cujus præter Pollucem, ut dixi, Athenæus, & Suidas meminerunt. Sed a Comicis delendi etiam *Pronomus* Thebanus, *Lyſiades* Athenienſis, *Charilaus* Locrenſis, *Char-*

(1) *Poll. lib.* VII. §. 37.
(2) *Wand. diſſ.* VIII. §. 5.

*Charchidamus* Σώςτος, quos Fabricius, eodem autore Urſino, inter Comicos retulit: Χοροδιδάσκοι namque fuerunt, uti *Pamphylus* Agnuſius, cujus lapis alter apud Wandalium meminit.

Ib. ENIKAMEN.

Lego diſiunctim ENIKA vicit, MEN... fortaſſe MENέλεω, aut MENαλίππω, aut MENαίχμαις, vel his ſimilibus a ſyllaba MEN exordientibus Fabulis.

Lin.8. . . . . . ΠΟΥ.

Legendum fortaſſe ΘεοπόμΠΟΥ, vel ΓλαυκίπΠΟΥ, quorum ille anno 1. Olympiadis 93. hic anno 111. ejuſdem eponymus fuit, ut ſcribit Diodorus (1).

Ib. ΚΑΤΑΧΗΝΑΙΣ.

Ignotæ hactenus, quod ſciam, Comœdiæ nomen, latine dicerem *Deriſoribus*. Κατaχήνη apud Græcos pro *deriſione* uſurpatum Ariſtophanis, aliorumque auctoritate docent veteres gentis Grammatici. *Deriſorem* Kircheriano hoc in Lapide invenio

FA. CHRYSOROTE
COCAIVS DERISOR
LIBAIRTIS LIBART.

Sunt

(1) *Diod. lib.*XII. n.38. 43.

Sunt qui ſcenicum munus eſſe putent, & *Sannionem* interpretentur. *Sanniones* dici poſſe *Deriſores* non abnuo. Vereor tamen, ut *Deriſor* hoc loco officii nomen ſit; cognomen, ſeu, uti vulgo dicitur, *ſoprannome* eſſe potius puto, ut ille apud Fabrettum (1), *L. Fabius Januarius, qui & Deriſor*: *Sanniones* inſcripta Nævii Fabula, cujus meminit Nonius, an ex Græca aliqua deducta fuerit, ignoro; ſuſpicari libet, quum Latinarum plurimas e Græcis deſumptas ſciamus.

Lin.9. . . . . . ΛΙΣ.

Comici nomen, & hic latet: an Εὔπο-ΛΙΣ nobilis veteris Comœdiæ Poeta? Floruit ſane per ea tempora, quæ Didaſcalia hæc noſtra complectitur, atque anno III. Olymp.88. Νουμηνίας *tertias* tulit, uti in *Acharnenſium* Didaſcalia legitur: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυδήμου Ἄρχοντος ἐν Λυναίοις διὰ Καλλιστράτου, καὶ πρῶτος ἦν, δεύτερος Κρατῖνος χειμαζομένοις, οὐ σώζεται τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις. *Acta Euthydemo Archonte in Lenæis, egit Calliſtratus, & primus fuit, ſecundus Cratinus Hiemantibus, non invenitur: tertius Eupolis Neomeniis*. Idem anno III. Olymp.89. Alcæo Archonte, Κόλα-

(1) *Fabr. Inſcr. c.III. n.189.*

λακας docuit; anno autem ſequenti Archonte Ariſtione Αὐτόλικον, uti leges apud Athenæum (1).

Ib. ΑΤΤΑΙΜΟΝΑΙΣΩΙ.

Tertius hic ignotæ Comœdiæ titulus pluribus ex vocibus efformatus: non hoc ſane primum Græcorum in Fabulis exemplum; at quid ſibi velit, ex aliis libentius diſcam, nam quod utcumque probem non habeo.

Lin. 10. ΔΙΟΦΑΝΤΟΥ.

Diophantes, cujus Diodorus (2), & Pauſanias meminerunt, eponymus fuit anno 11. Olympiadis 96. quo contra Athenienſes, & Bœotos apud Coroneam gravi prælio ab Ageſilao pugnatum eſt (3).

Ib. ΔΙΟΝΥ . , . . . .

Quin Comœdiæ nomen hic lateat nullus dubito; mutilam vocem facile complerem, ſi Comici nomen notum foret: at nihil certi ſtatuam, cum & hoc ignoretur, & plures ſint veterum Comœdiarum tituli, quos referre huc poſſis. Habes Διόνυσον Ariſtomenis, Antiſthenis, Eubuli, & Timoclis (4): Ariſtopha-

(1) *Ath. lib. V. 17. 18.*

(2) *Diod. lib. XIV. num. 82. Pauſ. lib. VIII. c. 45.*

(3) *V. Diod. l. c.*

(4) *Poll. III. §. 150. Athen. XIV. 1. Clem. Alex. Strom. VII.*

phani, & Magneti Διόνυσος tribuitur, at pro Ariſtophane, *Ariſtomenem* legendum cenſet Fabricius; de Magnete adhuc ſub judice lis eſt. Habes Διονύσους Epicharmi (1) Διονύσιου Dionyſii Sinopenſis (2) Διονυσαλέξανδρου Cratini ſenioris (3) Διονυσιαζούσας Timoclis (4) & Διονύσου γονάς Polyzeli (5). Quænam ex his referri huc debeat, alii quærent: illud ego interim monebo, quæ acta hoc anno eſt Fabula, nec Cratini eſſe poſſe, nec Epicharmi, nec Antiphanis, nec Timoclis. Cratini quidem atque Epicharmi, quod Diophante Archonte vetuſtiores ſint; Antiphanis, & Timoclis, quod nondum in ſcenam, ut ſuſpicor, prodiiſſent. Cratinus paulo poſt Olympiadem 89. obiit, ut enim ait Lucianus (6), *Cratinus Comicus Poeta ſeptem ſupra nonaginta annis vixit, cumque verſus vitæ finem Pytinem docuiſſet, viciſſetque, non ita multo poſt obiit*. Acta eſtporro Pytine anno 1. Olymp.89. αἱ πρῶται νεφέλαι (inquit Didaſcalia *Nubium* Ariſtophanis) ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει ἐπὶ Ἄρχοντος Ἰσάρχου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ. Epicharmus, quem Hieronis Siciliæ Regis temporibus floruiſſe ait Chronicon

(1) *Ath.*XV. 15.
(2) *Id.*XIV. 1.
(3) *Id.*XV. 32. *Suid.* V. Βῆ. *Foſſ.*VI. §.48.
(4) *Ath.*VI. 1.
(5) *Suid.* V. Πολύζηλος.
(6) *Lucian. in Macr.* 25.

con Græcum (1), quo anno obierit nemo tradit, quod ſciam; grandævus ſane obiit, nam & hunc annis ſeptem ſupra nonaginta vixiſſe ſcribit Lucianus (2): Diophantis tamen tempora attigiſſe nequaquam cenſeo: legiſſe enim memini *Epicharmo* ſeni *Magnetem* juvenem collatum fuiſſe, *Magnetem* vero inter vetuſtiores antiquæ Comœdiæ Poetas recenſet Fabricius (3): ejuſdemque meminit Ariſtophanes *in Equitibus*, Stratocle Archonte habitis anno IV. Olymdiad.88. ut ſupra docui. Cur porro Antiphanem, & Timoclem Diophante Archonte in ſcenam nondum prodiiſſe ſuſpicer, illud in cauſa eſt, quod uterque Demoſthenem ſubtilius inter δοῦναι, & ἀποδοῦναι diſtinguentem irrideat, hic *in Heroibus*, ille in *Neottide* (4).

Ὁ δεσπότης δὲ πάντα τὰ παρὰ τῦ Πατρὸς
Ἀπέλαβεν, ὥσπερ ἔλαβεν: ἠγάπησεν ἂν
Τὸ ῥῆμα τοῦτο παραλαβὼν Δημοσθένης.

*A. Herus a patre recepit omnia*
*Ille ut acceperat. B. gaudebat olim*
*Hoc verbo cum uteretur Demoſthenes.*

Hæc Antiphanes, quæ, ut citius, annis poſt Diophantem tribus, & quinquaginta ſcripta ſunt. Ut enim Critici docent apud Fa-

(1) *Epist.56.*
(2) *Lucian. l.c.*
(3) *Fabric. B.G. lib.II. c.22.*
(4) *Ap. Athen.VI. I.*

Fabricium (1), Demoſthenes anno 11. Olymp. 109. de *Haloneſo*, diſſeruit, atque Athenienſes hortatus eſt, ut eam a Philippo Macedonum Rege, a quo occupata fuerat, reciperent, ſi *redderet*, minime vero ſi *daret*, quemadmodum leges apud Athenæum (2). At ſerius etiam *Neottidem* hanc Antiphanis actam fuiſſe ex iis ipſis, quæ recitavimus, manifeſtum eſſe opinor. Neque illud prætermittendum, quod idem Athenæus (3) narrat, Antiphanem Alexandro Magno Comœdias ſuas lectitare conſueviſſe. Alexandrum porro anno 1. Olympiadis cxi. regnare cœpiſſe & pueri ſciunt. Sed hæc omnia, quod nunc tandem animadverto, confirmat Anonymus περὶ κωμωδίας, apud quem lego, Ἀντιφάνης ..... Στεφάνȣ Ἀθηναῖος ἤρξατο διδάσκειν μετὰ τὴν ϛή Ὀλυμπιάδα: *Antiphanes Stephani filius Athenienſis docere cœpit* (fabulas nimirum dare) *poſt Olympiadem* 98. annis ſcilicet decem, ut minus, poſt Diophantem Archontem.

Lin. 11. & 12. ΕΠΙ ΝΙΚΟΤΕΛΟΥΣ. ΕΠΙ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ.

*Nicotelem* eponymum fuiſſe anno ½ Olymp. 97. lego apud Diodorum (4). Lyſima-

(1) *Fabr. l. s. c. 26.*
(2) *Athen. l. c.*
(3) *Id. lib. XIII. cit.*
(4) *Diod. lib. XIV. n. 97.*

ſimachi vero Myrrhynuſii eponymi anno ‡ Olymp.86. meminere Dionyſius Halicarnaſſeus, Plutarchus, Laertius (1), aliique. *Iſocrates Athenienſis*, inquit Dionyſius, *natus eſt ſexta & octogeſima Olympiade Archonte Athenis Lyſimacho*. At Diodorus hujuſce anni eponymum *Nauſimachum* appellat (2), quem Calviſius, aliique ſecuti ſunt. Noſtro hoc lapide Dionyſii, & aliorum *Lyſimachum* tueberis, & Diodori *Nauſimachum*, invito licet Nunneſio (3), Atticis e faſtis expelles. Contra vero Archontem anni 11. Olym.110. *Lyſimachidem* cum Diodoro appellabis (4); perperam quippe hujuſce anni Archontem Lyſimachum apud Laertium (5) vocari Menagius, aliique Criticorum conſentiunt.

Lin.13. ΕΠΙ ΜΟΡΙΧΙΔΟΥ.

Archontem hunc *Myrichidem* nonnulli vocant, idque Petitus probat (6). *Morichidem* dices hujuſce tui lapidis auctoritate. Meminit *Morichidis* Diodorus (7), eumque anno 1. Olympiadis 85. Archontem fuiſſe ſcribit.

Lin.

(1) *Dion. T.11. p.149. Plut. V.x. Rhet. n.x. Laer.111. §.3.*
(2) *Diod. lib.x11. n.33.*
(3) *Nun. V. Ariſtotel.*
(4) *Diod. lib.xv1. n.82.*
(5) *Laert. lib.1v. §.14.*
(6) *Pet. ad Leg. Att. p.79.*
(7) *Diod. lib.x11. n.29.*

Lin. 14. ΚΟΛΕΟΦΟΡΟΙΣ.

En quartum ignotæ Comœdiæ nomen, quod huic lapidi debemus. *Κολεοφόρον* interpretor *Hydriam ferentem*: nam & iſta ſubjecta huic voci notio apud Græcos; *κολεὸς*, inquit Heſychius, *ἡ θήκαι τῦ ξίφυς, καὶ λάρναξ, καὶ* ΥΔΡΙΑ. Cur ita malim, cum aliæ ſint ejuſdem nominis ſignificationes, id cauſæ eſt, quod alias Comicorum Fabulas ſimili ferme titulo inſcriptas videam: *Κανηφόρυς* Anaxandridæ, & Menandri, *ὄνον ἀσκοφόρον* Leuconis, *καλαθηφόρους* Eubuli, *φιαληφόρυς* Anaxandridæ, & *φορμοφόρους* Hermippi. Panathenaicorum certaminum victores *olei hydria*, quod Athenis exportare liceret, quum aliud vetitum omnino foret, donatos fuiſſe, ſuperius dixi, & non uno veterum teſtimonio oſtendit Mrurſius (1). Ad hæc *μετοικῶν* filias Panathenaicis in pompis *hydrias* ferre debuiſſe docet vetus Atticorum lex apud Harpocrationem: *Δημήτριος οῦν ἐν τρίτῳ νομοθεσίας φησὶν, ὅτι προσέταττεν ὁ νόμος τοῖς μετοίκοις ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν, τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα, καὶ σκιάδεια. Demetrius igitur in tertio de legibus ait, quod lata fuit lex, ut inquilini in pompis, ipſi quidem alveolos fer-*

for-

(1) *Meurſ. Panath. c.9.*

*rent*, *eorum vero filiæ hydrias*, *atque umbellas*. Legem hanc circa Peloponeſiaci belli tempora, quum Athenienſes proſpero rerum ſuarum ſucceſſu corrupti, inſoleſcere ceperant, latam fuiſſe exiſtimat Petitus (1); fortaſſe non male: at illud minus recte quod *σκάφας Ligones* reddidit. Aſſentior Perizonio (2), atque cum eo *Alveolos* interpretor. Num porro ὑδριαφόρας haſce lucis aliquid κολεοφόροις afferre poſſint, tu diſcuties, ſi voles, ego ad alterum lapidem explicandum accedo.

XX. Egregio hoc lapide Comicam Didaſcaliam exhiberi, dum tuo illuſtrando operam do, feliciter detexi, quo gratior eſſe ille nobis profecto debet, qui & ſuis nos copiis auxit, & eas oſtendit, quas licet in manibus, atque ante oculos haberemus, miſere ignorabamus. Hæc ita ſe habere facile agnoſcet quiſquis alterum cum altero componere mecum voluerit; ſentiet is profecto illa Ἐρεχθεῖ, Ὀδυσσεῖ, Ἡρακλεῖ, quæ ad ludos *Erechtheo*, *Ulyſſi*, atque *Herculi* ſacros pertinere vir doctus cenſuit, *Comœdiarum titulos* eſſe, & *nomina*, quibus Poetæ adepti victoriam fuerant. Sed lapidem ipſum inſpiciamus, Archontum tamen ſerie omiſſa, de qua recte Interpres diſſeruit.



(1) *Pet. ad Leg. Att. p. 26.* (2) *Periz. n. ad Æl. Var. vi. 1.*

Lin. 1. MAI , . . . .

MAIνομένῳ legerem , quo titulo inſcripta Diphili Comœdia apud Pollucem (1) . At quum *Diphilus* Sinopenſis , de quo locutum Pollucem cenſeo ( nam qui ante *Eupolim* ſcripſit ad hæc ſane tempora non ſpectat ) quum *Diphilus* inquam inter *novæ Comœdiæ* Poetas recenſeatur , quæ Alexandro Magno imperante florere cepit , Fabulas anno IV. Olympiadis 103. , quo *Chion* Archon fuit , docere nondum cœperat : quocirca ἐπέχω.

Lin. 2. ΔΙΟΝΥΣΟΥΓΟΝΑ . . .

Lego Διονύσου γοναῖς : ita inſcripta Polyzeli Fabula , cujus meminit Suidas (2) , & Pollux : neque alia, quod ſciam, apud veteres occurrit , quamvis *Bacchi natales* Poetarum ſomniis , & Mythologorum commentis celeberrimi fuerint . *Semeles* partum a Timotheo Mileſio , qui Olymp. 97. obiit , celebratum ſane novi ; at illud non Comœdia , ſed Poema fuit , Σεμέλης ὠδὶς inſcriptum , in quo nulla Dei , qui naſcebatur , ratione habita , adeo indecore , ac turpiter Semelem ejulantem Timotheus induxerat , ut illi crimini datum a Spartanis fue-

(1) *Poll. lib. x. §. 18.* (2) *Suid. V. Πολύζηλ. Poll. l. c. §. 109.*

fuerit . In veteri enim Spartani Senatus conſulto ejectus Sparta dicitur , non ſolum quod antiquam Muſicam novis inventis , ſed etiam quod indecoris de Semeles partus figmentis juventutis animos corrupiſſet (1) . Deorum natales a Comicis in Scenam productos non ſemel video , Ἀθῆνας γονὰς docuit Hermippus ; Ἀφροδίτης Antiphanes , Nicophron , ſeu Nicophon , & Polyzelus ; Ἀρτέμιδος , καὶ Ἀπόλλωνος Philiſcus , idemque *Jovis* , *Mercurii* , *Veneris* , & *Panis* natales in Scenam exhibuit , quibus addi etiam poſſunt Μουσῶν γοναὶ Polyzeli , quem ſemel , atque iterum nominavimus . E Tragicis vero unus eſt Timeſitheus, qui Ζηνὸς γονὰς , quod ſciam , docuerit . Qua ætate *Polyzelus* vixerit , invenire nondum potui : quocirca incertus ſum , utrum illius an alterius ſit Fabula , quam noſtra hæc Didaſcalia commemorat . *Polyzelum* anno 11. Olympiad.CII. Archontem lego , biennio ante *Chionem* ; at hunc eſſe *Polyzelum* Comœdiarum ſcriptorem affirmare non auſim , nulla veterum auctoritate .

Lin.3. ΑΜΠΡΑΚΙΟΤΙΔΙ.Γ̄.ΕΝ...

De numerali nota Γ̄. ſuperiori in fragmento egimus . *Ambraciotis* femina huic



(1) *Vid. Caſaub. ad Athen. lib.VIII. 1.*

Fabulæ nomen fecit . A quo acta fuerit ignotum, nullam exhibent hoc nomine Græcarum Fabularum *indices* . Ennii Fabulam *Ambracia* inſcriptam citat Nonius non uno in loco , eamque *Comœdiam* fuiſſe ſuſpicatur Hieronymus Columna (1) : *Ampraciotis* porro pro *Ambraciotis* non Scalptoris vitio tribuet , qui apud Stephanum Byzantinum (2) legerit ; *Hæc vox etiam ſcripta reperitur per* Π. *loco* Β. *& Ampracia in uſu eſt, & Ambracia* : Quod vere a Byzantino obſervatum lapis hic confirmat , & Herodoti , ac Thucydidis hiſtoria , in qua Ἀμπρακιῶτης plus vice ſimplici legiſſe me memini . *Liberalium* nomen , quibus acta *Ampraciotis* fuerat , ſculptum fuiſſe opinor poſt illa EN , quod marmore disfracto periit .

Lin.4. . . . . ΤΡΑΓΟΥ ΕΡΕΧΘΕΙ.

Audax *Erechthei* facinus , & triſtem exitum Euripides celebravit ; res ſane cothurno digna : idem factum fortaſſe a Sophocle , hunc enim verſum

Ναῦς ἡ μεγίστη κρεῖσσον ἢ μικρὸν σκάφος ,

*Quærenda navis magna præ tenui ſcapha* ;

ex Sophoclis *Erechtheo* citat Stobæus , atque ex Stobæo Columna , Grotius , aliique proferunt : eumdem tamen in Euripidis Ere-

(1) *Colum. not. in Enn. p.452.* (2) *Steph. V.* Ἀμβρακ.

Erechtheum tranſtulit Barneſius ; recte ne, an ſecus quærat qui volet. *Erechtheo* ſoccos aptavit Ariſtophanes, ſi modo recte Fabricius inter hujus Comici Fabulas *Erechtheum* Euſthatii auctoritate recenſuit. Aptaſſe tamen non mirarer, commune enim hoc antiquis Comicis, ut tragicas res comicam in ſcenam producerent: non uno id exemplo Caſaubonus (1) confirmat. Num vero Ariſtophanis ſit *Erechtheus*, cujus iſte lapis meminit, affirmare non audeo. At ſi ſit, Eponymus, quo acta fuit Fabula, nec *Lyſiſtratus*, ut Interpres ſuſpicatus eſt, nec *Calliſtratus* eſſe poteſt, quorum hic anno II. Olymp.106. ille anno IV. Olymp.102. Archontes fuerunt. Non enim cenſeo Ariſtophanem ad hæc uſque tempora aut vixiſſe, aut Fabulas docuiſſe; qui cum primum Comœdiis ſuis in ſcenam prodiit aperto nomine, & *Babilonios* dedit anno II. Olympiad.88. triginta, ut minus, annos natus erat. Nam, ut ſuperius dixi, nemini, qui triceſimum ſaltem annum non attigiſſet, aperte in ſcenam prodire licebat. Legendum igitur Δημοςράτυ foret, qui anno IV. Olymp.96. Eponymus fuit, atque iterum, vel ejuſdem nominis alius, anno III. Olympiadis 97., cujus Olympiadis anno IV. *Plutus*



(1) *Caſaub. ad Athen. lib.VII. c.21.*

*tus* habita . Fabulam hanc omnium ultimam docuiſſe Ariſtophanem ait Anonymus in ejus vita , quo ſuperiora mirifice confirmantur . Niſi ſi quis id Ariſtophani etiam, quod Æſchylo (1) , datum velit , ut ſcilicet illius Fabulæ etiam poſt ejus mortem agerentur , & reportare victoriam poſſent ; quod neque negare , neque affirmare audeo. Ennii *Erechtheum* , cujus Gellius , Macrobius , & Feſtus (2) meminerunt , ab Euripide deſumptum fuiſſe cenſet Columna ; quid ego ? tunc a me intelliges , quum Fabulas haſce nactus fuero .

Lin. 5. . . . . . . ΛΕΙ .

Ἡρακ ΛΕΙ legit hoc loco Interpres : non improbo ; at æque bene legere potuiſſet Ἀχιλ ΛΕΙ , Εὐρικ ΛΕΙ , Διοκ ΛΕΙ , nam & *Achilli* , & *Euricli* apud Laconas , *Diocli* autem apud Megarenſes ſua erant Ludorum certamina . Nullus hic tamen Ludis locus ; trunca vox ad Comœdiam ſpectat , quam Ἡρακλεῖ, Ἀχιλλεῖ, Θεμιστοκλεῖ, Ἀνδροκλεῖ &c. interpretari æque poteris , quum plures extent his inſcriptæ nominibus Græcorum Comœdorum Fabulæ .

Lin.

(1) *Petit. ad Leg. Att. p.68.*
(2) *Macr. Sat.* VI. 4. *Gell. N. A.* VI. 16. *Feſt. V.* Neminis .

## Lin.6. 101.

Io Inachi filia, hujus Fabulæ argumentum, quæ anno 11. Olympiad. 101. Hyppodamante Archonte acta eſt. Tres apud veteres invenio, qui Fabulam hanc docuerint: Ex iis primus *Sannyrio* eſt veteris Comœdiæ Poeta, qui, ut Pearſonius putat (1), eadem, qua Ariſtophanes, ætate vixit: illius Fabulam, *Io* inſcriptam, Suidas (2) commemorat, atque ab Athenæo citari ait; at in eo, quem nunc habemus, fruſtra requires, vel Librarii errore, vel Suidæ, vel temporum injuria. Chæremonem ἐν τῇ Ἰῷ laudat Athenæus (3), eumque tragicum Poetam Theophraſti auctoritate appellat; *Theophraſtus in Erotico ait, Chæremonem Tragicum ſcripſiſſe &c.* contra Suidas, aliique non magni nominis Autores, *Comicum* vocant, quos nemo prudens Theophraſto præferet. Quo anno obierit non invenio, meminit ejuſdem Ariſtoteles (4), ex quo facile ſuſpicor ad hæc tempora pertinere illum poſſe. Ἰὼ in ſcenam a *Platone* Comico prolatam ex Athenæo, & Suida (5) intelligo: at quum duo fuerint hujus nominis

 Co-

(1) *Pearſ. Vind. ep. S. Ign. part. II. c. 2.*

(2) *Suid. V. Σαννυρίων.*

(3) *Ath. lib. XIII. c. 9.*

(4) *Ariſtoteles Poet. c. 1.*

(5) *Athen. lib. XIV. 11. Suid. V. Πλάτων.*

Comici. quorum alter ad *veterem* Comœdiam, alter *mediæ* princeps fuiſſe perhibetur, cui tribuam incertus ſum, præſertim quum utrius ſint, quæ *Platonis* nomen præſeferunt, dramata, non ſatis conſtet, ut Fabricius monuit. *Juniori* ſane tribuenda erit, ſi noſtra hæc Ἰὼ *Platonis* ſit; ſeniorem enim qui anno III. Olymp.93. Κλεοφόντι *tertias* tulit, ad hoc uſque tempus, ad annum ſcilicet II. Olymp.101. perveniſſe non facile credo.

Lib.7. ΟΔΥΣΣΕΙ.

Et hoc ad *Ludos* Interpres tranſtulit: ego ad Comœdiam *Cephiſodoro* Archonte anno III. Olymp.103. actam. Alexis, Amphis, Anaxandrides, Epicharmus, Eubulus, Theopompus *Ulixem* Fabulis celebrarunt ſuis. Ut enim recte Caſaubonus animadvertit (1), *quæ de Ulixe hiſtoria fabularis continet, non ſolum Epicis, & Tragicis multorum poematum argumentum præbuerunt, ſed etiam Comicis multarum Comœdiarum.*

Lin.8. ΑΓ . . . . .

Quum innumeræ ſint Fabulæ, quæ ex hanc ſyllaba ΑΓ exordiuntur, ineptus profe-

(1) *Caſaub. in Ath. lib.* IV. *c.*28.

fecto eſſem, ſi, quæ potiſſimum Apollodoro Archonte, anno nimirum 111. Olympiad. 107. acta ſit, divinare vellem.

Lin. 9. . . . . ΟΙ ΩΙ.

Et hic Comœdiæ nomen latet, ſed plura ſunt, quæ huic trunco aptari poſſint capita. Legi namque poſſet ΛουτροπΟΙ ΩΙ, quo titulo invenio Anaxilæ Fabulam apud Pollucem (1), quam ab aliis Λυροποιὸν ab aliis Μυροποιὸν, ab aliis Α'υροποιὸν nominatam refert Fabricius (2). Ε'κπωματοποιὸν Alexidis, Νυμφοποιὸν Sophronis apud eumdem Fabricium reperio. At *Sophron* ſi Euripidis, ut fertur, æqualis fuit, huc non pertinet; obiit, enim Euripides ex Arundelliano marmore Antigene Archonte anno 11. Olympiad. 93. (3), annis octo & triginta, ante Nauſigenem, quo hæc Fabula acta fuit anno nim. 1. Olymp. 103.

Lin. 14. ΑΝΤΕΡΩΤΙ.

*Anterotem* Veneris, & Martis filium novi, num ex eo Fabula hæc ſortita nomen ſit, ignoro. Quid ſi ex *Timagoræ*, & *Meletis* morte, quam Pauſanias narrat, deſumptum Fabulæ hujus argumentum? *Meles* *Athe-*

(1) *Pll. lib. VII. §. 167.*
(2) *Fabr. l. c.*
(3) *Epoc. 64.*

*Athenienſis*, inquit Pauſanias (1), *amatorem ſuum Timagoram, inquilinum hominem, faſtidiens, ut de ſummo ſaxo ſe abjiceret, juſſit. Timagoras, qui ſemper omnia, quæ puer imperaret, facienda putaſſet, animam etiam ipſam facile profudit: unde enim juſſus erat, impigre præcipitem ſe dedit; Meletem vero re cognita, ſuæ illum acerbitatis adeo pœnituit, ut ex eodem ſe ipſum ſaxo etiam dejecerit. Ex eo tam atroci rei eventu inquilini, ut in eo ipſo loco* Anteros, *Genius Timagoræ amoris vindex, coleretur, inſtituerunt*. Quamquam cothurno hæc potius, & tragica ſeveritate, quam ſocco, & comicis hilaritatibus dignum facinus. Ceterum qui *Anterotem* docuerit invenio neminem.

Lin.15. . . . NIKA ΛΗΝΑΙΑ.

Lego ENIKA Ληναῖα, pro ἐνίκα εἰς ληναῖα, præpoſitione omiſſa, quod Græcis non infrequens. Fortaſſe etiam, ut non nullis in Lapidibus, ἐνίκα ὀλύμπια παγκράτιον, ἐνίκα ἴσθμια δόλιχον, ita noſtro hoc in marmore ἐνίκα ληναῖα ἀντέρωτι, *vicit Lenæa anteroti*, cujuſmodi locutionis exempla non deerunt. Sponte non quærenti occuriſſe putaveram, quum apud latinum Plutarchi In-

(1) *Pauſ. Att. 1. c.30.*

Interpretem legerem in vita Iſocratis *Aphereum* tragicum Poetam *bis Liberalia* viciſſe : aſt , ubi Græca conſului , turpiter oſcitaſſe Interpretem vidi , qui hæc , καὶ δὶς ἐνίκησε διὰ Διονυσίου καθεὶς , καὶ δὶ ἑτέρων ἑτέρας δύο γλωαῖκας, interpretatus eſt , *biſque uno tempore vicit Liberalia* , *aliiſque actoribus duas reportavit lenaicas* . Perperam ; neque enim διὰ Διονυσίου ad *Liberalia* ſpectat , ſed *Hypocritæ* , ſeu *Hiſtrionis* nomen eſt , quo agente *Aphereus* duas reportavit victorias , non uno tempore , ut male καθεὶς explicat Interpres , ſed *unam* poſt *aliam* . Suſpicor tamen locum hunc corruptum , atque ita fortaſſe reſtituendum , διὰ Διῶνος εἰς ἄςυ , καὶ δὶ ἑτέρων &c. *bis vicit Dione* ( Hypocrita ) *urbicis* , & *aliis* (Hypocritis &c.). *Hypocritam*, ſeu Hiſtrionem qui egerat , viceratque , non diſſimulabant veterum *Didaſcaliarum* Scriptores ; *Calliſtratum* & *Philonidem* Ariſtophanis Hiſtriones memorat Comici Scholiaſtes , alterum in Didaſcalia *Acharnenſium* , quam ſupra recitavi (1) : alterum in Didaſcalia *Ranarum* , & *Veſparum* , quarum priorem dedi (2) , poſteriorem hic ſubjicio , uti a Palmerio emendata eſt . Ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀμυνίου ( anno II. Olympiad.89.) διὰ Φιλονίδου ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπίων ἦν β εἰς λη-

(1) §.xix. (2) §.x.

ληναῖα, καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλονίδης, ( δεύτερος...) προάγωνι, Γλαύκων πρέσβεσι τρίτος. Ut *Calliſtratus* igitur, & *Philonides* Ariſtophanis Hiſtriones fuerunt, ita fortaſſe *Dion* Apherei. Hæc dum ſcribo, illa ſubit animo cogitatio, an non illis ΞΙΠΠΟΥ ΛΗΝΑΙΑ (1) Hiſtrionis nomen lateat Ἀναξίππου, puta, quo agente, Poeta, quiſquis fuerit, *Lenæis* vicerit: patrio enim caſu Hiſtrionis nomina in *Didaſcaliis* efferuntur, ut ex iis, quæ protuli, ſatis patet. Ut ut ſit, illa διὰ Διονυσίου Plutarchi ad *Liberalia*, me autore, nequaquam referes.

XXI. Hæc habui, optime Marini, quæ de utroque Lapide, & de utraque *Didaſcalia* commentarer. At quid ego duplicem *Didaſcaliam* ſtatuo? Una eſt, mihi crede, atque ad unam eamdemque utrumque fragmentum pertinet. Eadem marmoris ſpecies, eademque characterum forma, unum idemque monumentum eſſe, etiam me tacente, aperte teſtantur. Præclarum, & quantivis pretii Κειμήλιον, quo uno veterum Comœdiarum *indices* ſex augere Fabulis poſſumus, videlicet Σιδήροις, Καταχήναις, Ἀυταμοναίτῳ, Κολεοφόροις, Ἀμπρακιώτιδι, atque Ἀντέρωτι; quas actas nemo umquam ſciret, ni Lapides hoſce in apricum tan-

(1) *Lin.* 9.

tandem noſtra ætas protuliſſet . At duo fortaſſe a me quæres , primum cur temporis ordinem illius Autor neutiquam ſervaverit , alterum quum triplex foret Tragicorum , & Comœdorum victoria , uti ex *Didaſcaliis*, quas protuli, manifeſtum eſt , cur idem nequaquam commemoraverit , quam quiſque adeptus victoriam fuerit , *primam* ne , an *ſecundam* , an *tertiam* ? His ego abunde , opinor , ſatisfacerem , ſi integra ad nos *Didaſcalia* perveniſſet : at quum adeo trunca ſit , & mutila , quid certe proferre poſſim, non intelligo . Ne nihil tamen dixiſſe videar , primum quidem factum reor , quod *Poetarum* , non temporis habita ratio ſit , cujus rei indicium præbet, ni fallor , *Antiochidis* , & *Chionis* nomen bis occurrens , utrobique enim de eodem Poeta agi veriſimile neutiquam exiſtimabis . Quinam porro , & quot ſint Poetæ , quorum hic victoriæ notantur, ineptire mihi viderer , ſtatuere ſi vellem . Annos duos & nonaginta *Didaſcalia* iſta complectitur , ab anno ſcilicet IV. Olympiadis LXXXIV. , quo *Timocles* Archon fuit , ad annum III. Olymp. CVII. *Apollodori* Archontis nomine inſignem . Hoc temporis intervallo *vetus Comœdia* , non ea quæ a *Suſarione* invecta fertur , ſed quæ Periclis ætate orta perhibetur , maxime floruit , &

cum

*. . . . cum ſævus apertam*
*In rabiem verti cœpit jocus, & per honeſtas*
*Ire domos impune minax*

cecidit; ſublato choro; atque ejus locum *media* occupavit. Antiquæ illuſtriores perhibentur *Ariſtophanes*, *Ariſtomenes*, *Cratinus*, *Eupolis*, *Amipſias*, *Phrynicus*, *Plato Senior*, *Nichocares*, *Nicophantes*, *Alcæus*, *Archippus*, *Crates*, *Pherecrates*, *Eubulus*, qui *antiquæ*, & *mediæ* veluti quidam terminus, ac limes, *Anaxandrides*, *Alexis*, aliique, quos numerare & moleſtum, & inutile. Ad alterum quod ſpectat, ſi ex aliis Græcorum Agonibus conjecturam facere licet, illas hic tantum Fabulas commemorari arbitror, quæ *prima* præmia retulerunt. Ut enim Spanhemius recte docuit (1), & dixiſſe jam memini, vetus fuit, & recepta ſacris in Græcorum Agonibus conſuetudo, ut is dumtaxat victor diceretur, qui *primam*, non autem qui *ſecundam*, aut *tertiam* palmam conſecutus fuerat. Firmat hæc, ſi quid video, vox ἐνίκα, quæ utroque in fragmento occurrit; atque hinc ſuſpicandi locus marmoream hanc *Didaſcaliam* Athenienſi in Theatro poſitam, & collocatam fuiſſe, ut Victorum nomina immortalitati conſecrarentur: quemadmodum Olym-

(1) *Spanh. ep. 1. ad Morell. p. 73.*

Olympico in Gymnaſio *Olympionicarum* nomina ab Elidenſibus conſervata narrat Pauſanias (1). Sed quid ego te Athenis in Peloponneſum transfero? Annon Tragicorum plurium, Comœdorumque ſtatuas Athenienſi in Theatro poſitas idem Pauſanias narrat (2)? *Ad Theatrum Bacchi Fanum, in Theatro ſtatuæ Tragicorum, & Comicorum ſed obſcuriorum multæ: nam, Menandrum ſi excipias, nullus ex clarioribus. Ex illuſtrioribus Tragicis eſt Euripides & Sophocles, quippe Æſchyli quidem ſtatua facta eſſe mihi videtur multo poſt ejus exceſſum.* Quidni ergo una cum Statuis, & nomina, & victoriæ poſitæ? Sed non eſt cur conjecturis hiſce diutius te detineam. Vale.

(1) *Pauſ. lib. VI. c. 6.* (2) *Id. lib. I. Att. c. 21.*

AD-

## ADDENDA AD §.x.

Dionyſia κατ' ἀγρὸυς eadem ac *Lenæa*, *Antheſterionem* vero menſem a *Lenæone* omnino alium fuiſſe pluribus adverſus Seldenum diſputatum a me eſt : recte ne an ſecus aliorum erit judicium. At quando David Ruhnkenius Seldeni opinionem noviſſime propugnare aggreſſus, rem ita ſe demonſtraſſe putat, ut nullus jam amplius dubitandi locus relictus ſit ; placet hic eorum, quæ protulit, momentum ac pondus examinare. Feciſſem ſane ſuo loco, ſi novam *Heſychiani Lexici* editionem, cujus in *Auctario emendationum* ea de re non paucis differit, nactus antea fuiſſem.

Ac primo Vir doctus eos, qui *Ruralia* eadem ac *Lenæa* eſſe arbitrati ſunt, ex male intellecto Ariſtophanis loco in errorem inductos ſtatuit : Comicus hic Acharnenſ. v.201. inquit.

Α'ξω τὰ κατ' ἀγρους εἰσιὼν Διονύσια.
*Domum ingreſſus, agam ruralia Dionyſia.*

v.251.

Α'γαγεῖν τυχηρῶς τὰ κατ' ἀγρους Διονύσια :
*Celebremq; hodie feliciter ruralia Dionyſia:*

At idem ejuſdem Fabulæ v.503. ait

Α'υτοὶ γαρ ἐσμὲν, οὔ πὶ Ληναίῳ τ' ἀγὼν.
*Soli enim ſumus, ac Lenæus agon agitur.*

et

& v. 1553. & 54.

Ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα
Ληναῖα χορηγῶν, ἀπέλυσ' ἄδειπνον.
*Me miſerum, Lenæa celebrans ſivit incoenatum abire.*

*Quis non credat* τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια, & Ληναῖα *promiſcuè ab Ariſtophane dici? .... Enim vero tantum abeſt, ut inde conficiatur* ruralia Liberalia, & Lenæa *idem feſtum fuiſſe, ut illi ipſi loci accuratius excuſſi diſcrimen, quod inter hæc duo Feſta fuit, clariſſime demonſtrent. Scena hujus Fabulæ Athenis eſt, habentur comitia de maximi momenti rebus: adſunt Acharnenſes, in his Dicæopolis, qui longi belli pertæſus, cæteris bellum præſeferentibus, pacem ſibimet ſoli a Lacedæmonibus comparat, qua impetrata gaudio exultans, Athenis avolat in pagum ſuum Acharnam, ibique celebrat* τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια, *quæ propria erant pagis .... mox Athenas reverſus cum Athenienſibus Lenæa celebrat, eorumque mentionem facit v.503. nam hoc drama Lenæis editum .... Hanc Ariſtophanis interpretationem neſcio an quaſi per nebulas viderit Joan. Seldenus ... Maneat igitur a* Ληναίοις *diverſa fuiſſe* κατ' ἀγροὺς Διονύσια ....

*Secundo ſequitur, ut de tempore, quo*

G Le-

*Lenæa celebrata ſunt, dicamus. Heſychius eorum celebrationem in Lenæone ponit; Lexicon Mss. Rhet. in Gamelione:* Διονύσια: Ἑορτὴ Ἀθήνησι Διονύσου: ἤγετο δὲ τὰ μὲν κατ᾽ ἀγροὺς μηνὸς Ποσιδεῶνος: τὰ δὲ λήναια Γαμηλιῶνος. τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. *Lenæonis nomen poſtquam ſemel ad Jones tranſiit, & Antheſterioni locum fecit, rarius in Atticorum monumentis reperitur; nec memini me illud alibi, præterquam apud Ariſtidem Tom.* 1. *p.*280. *legiſſe. Heſychius vero Lenæorum tempus ſignans, magis conſentaneum, Lenæonem, qui a Lenæis nomen inveniſſet, quam Antheſterionem, appellare cenſuit. Ac neſcio, an hujuſmodi inſolentia librarium lexici Rhet. Mss. moverit, ut* μηνὸς ληναιῶνος *mutaret in* Γαμηλαιῶνος, *vel* Γαμηλιῶνος: *Sed utcumque ea lectio manarit, falſa eſt . . . Nam Lenæorum ſolemnitatem in Lenæonem, vel Antheſterionem incidiſſe magno conſenſu veteres tradunt, Heſychius* ληναίων μὲν *&c. quem locum Heſychius excerpſit ex veteri Grammatico, enarrante Heſiodum* Ἔργ. καὶ Ἡμ. *verſ.*504. . . . *In Antheſterione hoc feſtum etiam collocat Philoſtratus V. Apol.* IV. 21. . . . . *accuratius Thucydides* II. 15. *ſolemnitatis tempus finiit ipſo die, qui eſt* XII. *Antheſterionis, commemorando...*

*do . . . . At in hoc ipſum Lenæorum tempus , & diem adeo incidunt Antheſteria vel* Πιθοίγια , χόες , χύτροι , *quæ Antheſteriorum partes dicuntur ab Apollodoro apud Harpocrat. v.* χόες , *& apud Scholiaſt . Comici ad Achar. v.960. . . . : Quid igitur? an Antheſteria eadem fuerunt , quæ Lenæa , ſive quæ in Limnis agebantur , ſicut Antheſterion idem menſis fuit , qui Lenæon ? Ita viſum Scaligero , Caſaubono , Seldeno , Petavio , quamvis nullo certo teſtimonio nixis . Nos rem ex uno Ariſtophane ita demonſtremus , ut nullus dubitationi locus relinquatur . In Acharnenſibus v.960. Lamachus ſibi jubet impertiri turdos ad* χόας , *qui tum maxime celebrabantur*

Εἰς τοὺς χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν κιχλῶν :

*cum quo verſu jungendus v.1209.*

Τοῖς χουσὶ γάρ τις ξυμβολὰς ἐμπράττετο :

*Quippe Chois exigebat quidam ſymbolas :*

*Præterea v.1075. Bœotii ſub illud ipſum Bacchi feſtum in Atticam excurſionem feciſſe dicuntur ,*

Ὑπὸ τοὺς χόας γὰρ καὶ χύτρους αὐτοῖσι
Τὶς ἤγγειλε λῃστὰς ἐμβαλεῖν Βοιωτίους .

*Nam ſub Choas , & Chytros ipſos*
*Quidam modo retulit latrones incurrere*
*Bœotios .*

*Quid ex hoc temporis indicio cogi poteſt ?*

 *Nem-*

*Nempe Fabulam editam eſſe in feſto* χόων : *at ex v.*503. & 1153. *in Lenæis editam eſſe liquet : eſt igitur luce clarius* χόας *partem eſſe Lenæorum : Lenæa nihil differre ab Antheſteriis . Ranas Ariſtophanes docuit in iiſdem Lenæis , at ipſo dramate verſ.* 217. & *ſeqq. Fabula in* χύτρων *feſto acta dicitur .*

Ἧν ἀμφὶ Νυσήϊον Διὸς
Διόνυσον ἐν λίμνασιν ἰαχήσαμεν:
Ἡνίχ᾽ ὁ κραιπαλόκωμος
Τοῖς ἱεροῖσι χύτροισιν
Χωρεῖ κατ᾽ ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος
*Quîs ante Niſſejum Jovis*
*Dionyſium apud Limnas canere ſolemus :*
*Ebria cum populorum*
*Turba frequentibus ollis*
*Sacrum nemus in meum procederet .*

*Ubi* ἰαχήσαμεν *intelligendum eſt* cantare ſolemus . *Ex hoc etiam loco efficitur id , quod volumus , Lenæa comprehendere* χύτρους . *Verum ſi* χόες , & χύτροι *partes ſunt Lenæorum cur Alciphron* 11. 3. *p.*230. χόας *a Lenæis , cur Hyppolochus apud Athenæum* IV. *p.*130. *Ælianus H.A.*IV. 43. *Diogenes Laertius* III. 56. χύτρους *a Lenæis diſtinguunt ? nos , ubi veterum teſtimoniis deſtituimur , non pœnitet hanc conjecturam ſequi . Etſi Lenæa , vel Antheſteria , tamquam genus , complectebantur*

tres

*tres formas* Πιθοίγια, χόας, χύτρους, *tamen præter illas, quarta etiam forma fuiſſe videtur per eminentiam quamdam dicta* Ληναῖα, *cujus ſolemnitati dicatus fuerit peculiaris dies, forte* x. *vel* xiv. *Antheſterionis. Venit etiam in mente* Πιθοίγια *alio nomine* Ληναῖα *appellari potuiſſe, propterea quod prima Lenæorum die agebantur. Quod ſi nobis duplices* χόας, & χύτρους, *alios in urbe, alios in agris celebratos, fingere liceret, ut finxit Perizonius ad Aelianum H. V.* 11. 41. *nihil hæreremus: Sed veteres ignorant hæc duplicia feſta.*

Hæc Ruhnkenius, non tanti profecto, ut noſtra relinquere cogamur, & eorum, quæ ſcripſimus, pœnitere. Nam quod ad illud attinet, quod priori loco diſputabat, ex ipſo nimirum Ariſtophane apertiſſime colligi, *Lenæa* alia eſſe a *Ruralibus Dionyſiis*; id perperam concluſum dico, quod ut oſtendam non multis egeo.

*Lenæa*, quæ eadem ac *Antheſteria* eſſe vult Ruhnkenius, Antheſterione agi oportuit, *octavo* nimirum Attici anni menſe; in eum ſiquidem Antheſteria incidebant. At *Ruralia*, ut idem fatetur, atque omnes conſentiunt, Poſideone agebantur, qui *ſextus* ejuſdem anni menſis eſt. Quocirca

 duo

duo ſaltem menſes inter utrumque feſtum interjecti erant. His porro conſtitutis, illud ſequitur, ut duorum menſium ſpatium illa Acharnenſium Fabula complexa ſit: *Dicæopolis, pace impetrata, Athenis avolat in pagum ſuum Acharnam; ibique cum familia Ruralia celebrat*. Poſideone nimirum menſe, neque enim menſe non ſuo celebraſſe Ruhnkenius dicet; *mox vero Athenas reverſus cum Athenienſibus Lenæa celebrat*; nempe Antheſterionis x. vel xiv. die. Non leve ſane peccatum contra Dramaticas leges, *quæ uno Solis ambitu actionem* contineri jubent. Ariſtophanem, ut ut quandoque exlex fuerit, tam turpiter hac in Fabula peccaſſe, nemo hactenus Criticorum, quod ſciam, docuit, nec facile puto: mecum profecto ſentiet, qui locum illum attente leget; nullum illic hujuſce rei indicium.

At *Lenæa Antheſterione* acta. Id, ſi Ruhnkenio credimus, magno conſenſu veteres tradunt, Heſychius præſertim, Philoſtratus, & Thucydides. Nollem ſane Thucydidem, & Philoſtratum tamquam prædes vir doctus protuliſſet. Nam Philoſtratus *Dionyſia* quidem *Antheſterione* menſe acta ſcribit; at hæc *Lenæa* fuiſſe non dicit. Thucy-

cydides vero ſic ait loco citato; *in ipſa Arce ſunt & aliorum Deorum delubra, & quæ ſunt extra ab hac Urbis parte potiſſimum viſuntur . . . Bacchi in Limnis, in cujus honorem Bacchanalia vetuſtiora celebrantur* XII. *die menſis Antheſterionis, quemadmodum nunc quoque Jones ab Athenienſibus oriundi, ex recepto ritu celebrare ſolent*: ubi de *Lenæis* ne γρὺ quidem. Heſychii locum Ληναίων, μὴν &c. ſupra ponderavimus: nihil ex eo certi inferri poteſt. Lexicographus, dum quærit quem locum in Bœotorum anno obtineret Lenæon, vetuſtiſſimus eorumdem menſis, Plutarcho viſum ait *Bucatium*, aliis vero *Hermæum*: horum ſententiam ut probabili aliqua conjectura fulciret, ſubdit, Athenienſes *Hermæo* menſe Lenæa celebraſſe: At Boeotos menſem ſuum *Lenæonem* nominaſſe, quod Athenienſes *Antheſterione* menſe, qui Hermæo reſpondebat, *Lenæa* agerent, eſt oppido ridiculum. Athenis vero Lenæa eo menſe acta nullatenus cenſeo. *Dionyſia* eo quidem celebrata, ſed ea, quæ *Antheſteria* dicebantur, quæ fortaſſe Heſychius cum *Lenæis* eo loco confudit, ut Boeotici menſis etymon explicare poſſet. At de hoc etymo ſatis ſuperius dixi. Rhetorici porro lexici auctoritatem iis, quos

jam protulimus, ſcriptoribus non equidem anteferam.

Urget tamen Ruhnkenius, & *Lenæa* eadem cum *Antheſteriis* eſſe ita ſe ex uno Ariſtophane demonſtraturum ſpondet, ut nullus deinceps dubitationi locus relinquatur. Vereor enim vero, ut quod recepit, effecerit. Quæ ex Comico allata ab eo ſunt, id unum efficiunt χόας, & χύτρους in *Lenæis* uſurpata, at illud probandum fuerat, hæc in Antheſteriis dumtaxat adhibita. quid ſi *Lenæis*, atque *Antheſteriis* χόες, & χύτροι communes fuerunt? Quid ſi utriſque in Ludis acti celebratique ſint? Nam quod duplices χόας, & χύτρους veteres ignoraſſe velit Ruhnkenius, negari id non temere poteſt. Manifeſta hujuſce rei indicia præbet, me judice, Ariſtophanes in hac ipſa *Acharnenſium* Fabula. Ut enim ex Dramaticis legibus, quæ uno ſolis ambitu Fabulam concludunt, *Ruralia*, & *Lenæa* unum idemque feſtum diem eſſe paulo ante efficiebam, ſic ex iiſdem illud ſtatui jure poteſt, duplices fuiſſe χόας, & χύτρους, quorum alii *Lenæis*, ſeu *Ruralibus*; alii *Antheſteriis* haberentur. Niſi, ſi quis fortaſſe malit, exlegem quandoque Comicum *Lenæis* id tribuiſſe, quod *Antheſteriis* dumtaxat uſurpari

ri ſolebat. Haberet is ſane veteres Græcorum Scriptores Alcyphrontem, Ælianum, Hyppolochum, Diogenem Laertium, quibus ſe tueretur: hi enim, Ruhnkenio ipſo fatente, *Lenæa* a *Chytris* aperte diſtinguunt, atque utriſque Tragœdorum, Comicorumque certamina commiſſa teſtantur. Quorum hoc, qui attentius conſideret, non his facile acquieſcet, quæ contra allata a Ruhnkenio ſunt: *Lenæa* videlicet, vel Antheſteriorum *quartam* veluti *formam* fuiſſe, cui x. vel xiv. menſis dies dicatus foret (quod ante ipſum ſuſpicatus fuerat Corſinius) vel Πιθοίγια alio nomine *Lenæa* vocata fuiſſe. Quæ, dum ſine ullo veterum teſtimonio comminiſcitur, negare nos æquo animo patiatur: neque enim facile credimus *Tragicos*, *Comicoſque Agones* intra triduum, aut quatriduum bis actos fuiſſe: quod ſane conſequens ſit oportet, ſi *Lenæa* vel eadem ſint, ac Πιθοίγια, vel x., aut xiv. Antheſterionis die celebrata ſint. Nullum apud veteres hujuſce rei veſtigium; nec ſatis ſimile vero videtur.

# SYNOPSIS.

§.1. Didaſcaliæ quid ? Docebant quæ Fabulæ a Tragicis, & Comicis commiſſæ forent, quibus ludis, quove anno viciſſent, a quibus ſcriptæ.

§.2. Didaſcalia marmorea in urbe reperta : alia huic ſimilis nunc primum agnita, quæ Athletis tributa fuerat.

§.3. Tragicorum & Comicorum certamina quando primum inſtituta ? An Theſpidis ætate ? Negat Plutarchus, cui aſſentitur Caſaubonus: affirmare videntur Chronicon Parium, Dioſcorides, & Suidas : quo pacto conciliari poſſint ; circa Olympiad. LIV. fortaſſe inſtituta, omnino ante LXX.

§.4. Quater in anno habiti ſcenici Agones, Panathenæis, & tribus Liberalibus. Trina apud Athenienſes Liberalia, Antheſteria, Ruſtica, & Urbana. Caſauboni, & Seldeni de Antheſteriis opinio rejecta.

§.5. Num ſtatim quater in anno habita ſint ſcenica certamina ? In Panathenæis ſerius certatum. Ariſtophanis ætate Antheſteriorum certamen actum negat Palmerius: non ſatis id confirmat Didaſcaliarum ſilen-

um:

tium:intermiſſum aliquandiu ſatis probabile; reſtitutum Lycurgi Oratoris lege : Euripidis ætate nondum ſublatum . In Piræo Antheſteria acta . Falſa Petiti opinio , quæ Antheſteriorum agonem anno 111. Olymp. 93. primum actum ſtatuit : non id Ariſtoteles docuit .

§.6. Lenæa certamina quænam ? Eadem ac Antheſteria cenſent Seldenus , Longruæus , & Corſinius : negant Petitus , Palmerius, Spanhemius. Seldeni opinio rejecta: Lenæa eadem,ac Ruſtica;vocis etymon ruſticum : in agris acta, uti Ruſtica. Chytri agones iidem, ac Antheſterii , diverſi a Lenæis . Thraſylli , Æliani , atque Athenæi teſtimonium . Lenæa olim in plauſtris acta , uti Ruſtica : inſignis Demoſthenis locus . Petiti interpretatio , atque explicatio rejecta : Theatrum in Piræo extructum : in eo Tragicorum certamina Socratis ætate acta .

§.7. Expenduntur Heſychii loca a Seldeno objecta . Prior Heſychii locus corruptus : Heinſii emendatio . Lenæus menſis idem ne fuerit,ac Antheſterius: affirmat Seldenus , aliique ; negant Petitus , Spanhemius &c. Petiti correctio non ſatis probabilis : Antheſterion menſis alius a Lenæone; contrarium a Prideauxio demonſtratum falſo

ſo putat Corſinius. Antheſteria hieme labente, ſeu veris initio habita; Lenæa autumno, ſeu potius hieme imminente: Scholiaſtis teſtimonium. Lenæa Poſideonis initio acta Diodori Siculi auctoritate firmatur. Dionyſii Senioris Siciliæ Regis cum Carthaginienſibus induciæ hieme inſtante: victoria in Lenæis Athenis relata; Regis hac de re gaudium, morbus, mors. Antheſteria vernum in tempus incidiſſe ex eo efficitur, quod Antheſterion vernus menſis fuerit; duplex Plutarchi locus, Demoſthenis teſtimonium. Romanorum annus Græcis Scriptoribus non ſatis perſpectus: Antheſterionis etymon: Theodori Gazæ opinio rejecta.

§.8. Alter Heſychii locus: hic Antheſterionem eumdem, ac Lenæonem, nequaquam probat: incertum quem menſem Lenæonem dixerit Heſiodus: quicumque fuerit hiemalis fuit. Bucatius primus Bœotorum menſis. Lenæi vocabulum non ſemper Liberalia deſignat. Cur Boeoti Lenæonem dixerint non ſatis conſtat: plures ea de re Autorum ſententiæ: Smyrnæorum, atque Jonum Lenæon alius ab Attico Antheſterione; Gamelioni reſpondiſſe videtur Lenæon Cyzicenorum menſis.

Ter-

§.9. Tertius Heſychii locus: Petiti rejecta emendatio: Autoris correctio: Quartus Heſychii locus; improbatur Petiti explicatio, item Spanhemii opinio: Autoris emendatio. Lenæum Bacchi templum in agris, Scholiaſtis teſtimonium; in agris etiam fortaſſe extructum theatrum Lenæorum, ſeu Ruſticorum cauſa.

§.10. Eorum, quæ hactenus diſputata, anacephalæoſis.

§.11. Cur Scenici agones in Panathenæis? Bacchi cum Minerva congnatio: Diodori, & Nonni teſtimonium.

§.12. Certaminum Scenicorum leges: Nemo Comicorum prodire in ſcenam poterat quadraginta, aut triginta annis minor. Poetas Fabulas ſuas Magiſtratibus, antequam agerentur oſtendiſſe, ait Voſſius: hoc ſane voluiſſe videtur Plato; non ſatis certum quo tempore lata hæc lex fuerit, ſi modo lata. An Morichides Archon Comœdias ſuſtulerit, eaſque triennio poſt Euthymenes reſtituerit? Affirmat Scholiaſtes Ariſtophanis; contrarium oſtendit Didaſcalia noſtra. Magiſtratui in Comœdiis convicium palam facere, atque aliquem expreſſo nomine lædere, Athenis vetitum: quo anno lata utraque lex fuerit: Syracuſius, ſeu Antimachus po-

poſterioris legis auctor : αὐτοπρόσωπος κωμῳδεῖν vetitum ; num lege Antimachi : Platonis locus .

§.13. Conſtituti Judices , qui de Fabulis ſententiam ferrent : Comicorum Judices quinque ; an idem ſemper numerus ? Luciani locus ex Harmonide . Tragicorum Judices decem fuiſſe cenſent Petitus , Faber , aliique , quorum opinio rejicitur : Plutarchi ex Cimone locus , non bene intellectus, explicatur. Μνήμη pro γνώμη fortaſſe irrepſit in Plutarchi textum . Strategi decem Athenis : num primum Cimone imperatore creati ? cenſuit Potterus , at falſo : Herodoti , & Cornelii Nepotis teſtimonium .

§.14. Utrum Cimon Tragicorum certamen , & judicium inſtituerit ? Sigonii, aliorumque hac de re error . Certaminum Judices jurati ; antequam judicium , & ſententiam proferrent, Diis ſacrificabant . Ariſtophanis de utraque re teſtimonium ; agendi , docendique ordo ſortito Poetis præſcriptus : Tanaquilli Fabri opinio rejecta . Judices non ſemel jusjurandi religionem violaſſe : conſtituti alii Judices , ad quos appellare liceret .

§.15. Quot Fabulis Tragici certarent : initio unica certaſſe videntur : non multo poſt

poſt quatuor: hinc veterum *Tetralogiæ*, ultima Satyrica, quæ ludicra, a Pratina excogitata primum fertur. Theſpidi tribuere videtur Horatius. Xenocles Tragicus a Dodwello, & Corſinio perperam inter Olympionicas relatus: nullus in Olympiis ante Neronem Tragœdis locus. Nero primus Tragicorum certamina contra legem in Olympia induxit: Apollonii apud Philoſtratum ea de re teſtimonium. Tragœdi in Pythia inducti, ſerius tamen: Plutarchi locus.

§.16. *Tetralogiarum* Tragœdiæ affinis argumenti fuiſſe perhibentur; atque ea de cauſa toti *Tetralogiæ* nomen datum: Philoclis Pandionis, Æſchili Oreſtia hujuſmodi: an id ſemper factum? Sophocles ſemel tantum *Tetralogiam* docuit; idque cum primum in ſcenam prodiit: unicam deinde Fabulam dedit. Quid *Trilogiæ*? ſatyrica ſæpe omiſſa in Didaſcaliis.

§.17. Victorum præmia quæ? Ficuum caniſter, vini dolium, Tripus, ſeu poculum, Hircus Victoribus antiquitus dati: veterum de his teſtimonia, Horatii, Dioſcoridis, Diomedis, Scholiaſtis Ariſtophanis, atque Athenæi. Oleum datum Panathenaicorum certaminum Victoribus: an ſolis Athletis? Coronis donati, qui in ſcena

pla-

placuerant : Plutarchi locus : coronæ ex olea , quandoque aureæ . Scenicæ victoriæ magno in pretio : earum in veterum ſcriptis memoria, & numerus: Ariſtotelis de his liber , qui non amplius extat : plures Græcorum epochæ ex hiſce victoriis deductæ .

§.18. Sophocles ob Antigonem populo datam Prætor factus : qui Chytris vicerant Lycurgi Oratoris lege civitate donati : an qui *ſecundas* , & *tertias* tulerant præmio donarentur ? Aliorum certaminum mos : Neptunii ludi in Piræo a Lycurgo inſtituti , in his triplex præmium .

§.19. Antiochides Archon anno II. Olymp.86. perperam apud Diodorum Antilochides dicitur : regii codicis , & Coislin iani lectio noſtro lapide firmata : Σάτυροι Fabulæ nomen : a quibus acta . Cratinus Σατύροις *ſecundus* an.IV. Olymp.88. cujuſnam ſint hi Satyri incertum . Σίδηροί nova , & ignota comœdia . Lyſippus comicus , non tragicus : Fabricii error , qui Lyſippum comicum Arcadem fecit : quæ errandi occaſio: Urſini error . Lyſippus , Liſiades , Charilaus , Charchidamus non Comici , aut Tragici , ſed Χοροδιδάσκαλοι ; recte id a Wandalio animadverſum . Καταχήνοις, latine *Deriſoribus* , nova Comœdia : Deriſor an Sannio

nio apud Latinos? Deriſor cognomen, non officii nomen in Kircheriano, & Fabrettiano lapide, Eupolis veteris Comœdiæ Poeta, an illius nomen in noſtra Didaſcalia? Α'υταμονaίσω ignota Comœdia. Διονυ .... Comœdiæ nomen: plures Fabulæ Dionyſii nomen præſeferentes; incertum quænam ſit noſtra. Antiphanis & Timoclis Διόνυσος an ſpectare huc poſſit? repugnat utriuſque ætas: Demoſthenis δοῦναι, καὶ ἀποδοῦναι ab utroque publica in ſcena deriſum. Lyſimachus Archon anno 1. Olymp.86. perperam apud Diodorum Nauſimachus dicitur; Nunneſii error. Archon anni 11. Olymp.110. Lyſimachides non Lyſimachus. Morichides Archon an.1. Olymp.85. non recte Myrichides a Petito, aliiſque appellatus. Κολεοφόροι ignota Comœdia: idem fortaſſe ac ὑδροφόροι: Panathenaicorum certaminum victores olei hydria donati: hydriam Athenis inquilinorum filiæ in pompis Panathenaicis ferebant: σκάφαι in iiſdem alveoli, non ligones.

§.20. Inſcriptio Græca a Camaldulenſibus Monachis olim vulgata ad Comœdos, non ad Athletas pertinet: Ε'ρεχθεῖ, Ο'δισσεῖ &c. Comœdiarum nomina, non Ludorum. Διονύσου γοναὶ Polyzeli Fabula, Σεμέλης

λης ωδὶς Timothei poema : Deorum natales a Comicis frequenter in ſcenam prolati. Ἀμπρακιώτης Comœdia ; Π in hoc nomine pro B uſurpatum, Stephani Byzantini teſtiſtimonium : Ennii Fabula *Ambracia* inſcripta : *Erechtheus* Euripidis Fabula ; an & Sophoclis ? *Erechtheum* Ariſtophanis memorat Euſthatius : eadem argumenta a Tragicis, & Comicis tractata. Ariſtophanes nec Lyſiſtrato, nec Calliſtrato Archonte Fabulas egiſſe videtur : quando primum in ſcenam proprio nomine prodierit ? Quænam ultima hujus Comici Fabula ? Ennii *Erechtheus* : Ιω Fabula a quibus tractata : Sannyrio comicus Ιω docuiſſe fertur : idem argumentum Chæremon, & Plato in ſcenam protulere. Platones comici duo : utrius ſint dramata, quæ Platonis nomen proferunt, incertum : Ὀδισσεῦ Fabula comica : Λουτροποιὸς Anaxilæ : Sophron Euripidis æqualis : Ἀϋπέρωτι Fabula ignota : quodnam illius argumentum ? Plutarchi interpres in vita Iſocratis emendatus : Calliſtratus, & Philonides Ariſtophanis Hiſtriones.

§.21. Utrumque fragmentum ad eamdem Didaſcaliam pertinet. Cur temporis ordo neutiquam ſervatus : quænam victoriæ in Didaſcalia memorentur : veteris & me-